


BIBLIOTECA NAZIONALE
VITTORIO EMANUELE
6
40 G
30

RAPSODIA

IO. PETRI CERMENATI DE RECTA REGNORVM AC RERVMPVBLICARVM ADministratione, déque principum moribus:

Ex optimis quibusque cum sacris, tum profanis authoribus collecta.







LVGDVNI.

Ad Salamandræ, Apud Ludouicum & Carolum Penot, fratres.


1561

CVM PRIVILEGIO REGIO.



PRECLARISSIMO VIRO DOMINO IO. IACOBO RVPPIO CAMBRAIO GALLORVM

Regis à libellis supplicibus consiliario: Eiusq; nomine nunc inter Rhætos legatum agenti, Ioannes Petrus Cermenatus Felicitatem.



VI studiorũ suorum lucubrationes in lucẽ edituri sunt præstãtissime Domine, eas plurimùm singulari virtute præditis viris dicare solẽt, vt ipsorum auspicijs aduersus inuidos tutiores esse valeant. Horum consuetudinẽ mihi quoque nunc sequendam duxi. Nam quum ex varijs tã sacris, quàm profanis authoribus rapsodiam quãdam de recta regnorum ac rerumpu-

blicarũ administratiõne: Déque Principũ moribus magno labore, summoque studio collegissem, hanc ipsam tibi dono dare constitui, vt obtrectatorum (si qui forte fuerint) morsus tuo sub patricinio facilius vitare posit. Et quis obsecro, melius illã tueri queat, quàm Io. Iacobus Ruppius Cambraius? Cuius authoritas ea est, siue generis eximiam nobilitatem, siue disciplinarum omniũ eruditionem, siue regiorum munerum traditam functionem spectes, vt iure merito venerãda sit omnibus & excolenda. Huc accessit ingens tuorum in me cumulus meritorũ, quibus profectò deberi mea omnia mihi persuasissimum est. Vix videbar hominis ingrati suspicionem euitare posse, nisi munusculum hoc tibi, qualecunque tandem id sit, obtulissem. Præterea duobus potissimum nominibus tibi conueni re libellum ipsum existimaui, & quod ipse quoque sis animi tui Princeps, & quod Regibus tuis fideliter & amanter inseruias. Quæ sanè munia quo pacto sint exactè præstanda, vel pro parte saltem

tem hinc(vt arbitror)animaduertere licebit. Et si etiam aliunde tibi eadem esse nota non verear. Talibus enim & natura insitis, & institutione partis exuberas dotibus, vt horum munerum administrationis formam possis ab alio nemine melius, quàm à teipso exquirere: ita natus, ita educatus, ita in exequẽdis tui Regis imperijs versatus, vt & prudentissimi ducis, & strenui militis (de togata dico militia) parteis omneis huiusmodi in officijs obire procul dubio valeas. Id quod ipsa negotia, quibus assiduam operam nauandis adhibes, manifestissimè indicant. Atque illud vnum præ omnibus maximè, quod ad varios Reges, ac Principes tractandarum summi momenti rerum gratia frequenter legaris. Et quæ regio in terris, vestri non plena laboris. Quibus omnino laboribus legationibusque obitis quanta sis cura diligentiaque perfunctus, hodiéque apud Rhætos trium fœderum Dominos idem munus exercẽs perfungaris, ita per se ipsa res loquitur: vt longiore mihi ser-

mone ad id explanandum non esse hîc opus existimem. Nam quod seorsum ad Rhæticã hanc legationem attinet, Quis est, qui nesciat quãta dexteritate istiusmodi populorum animos tuo Regi concilies? quanta prudentia, si qui forte tumultus excitentur, vt in liberis rebuspublicis nonnunquam fieri consueuit, eos & componas, & mitiges? quanta denique liberalitate tibi omneis deuincias? Quæ quidem omnia tuis te Regibus & Principibus ita faciunt & acceptum, & gratum, vt nemini dubium sit, inde tibi faciliorẽ ad sublimiores gradus iam patere conscensum. Nos autem eisdem Regibus maximoperè gratulamur, quod tales habeant oratores, quales & inter ipsos Rhætos te, & inter Heluetios præstãtissimum virũ D. Cugnetum esse nũc cernimus: Quorum sapienti consilio, sedulaque fit opera, vt vtraque tam Heluetiorum quàm Rhætorum gens fœdus cum Gallis initum, & contractam societatem ex animo seruent: & in suis expeditionibus Rex ad manum semper habeat

beat

beat inuictißimas copias. Vt nihil interim de alijs compluribus compendijs, quæ Regibus ipsis inde proueniunt, hic loquamur. Verùm vt ad libellum reuertar, hoc vnum vehementer te oro, benignißime Domine, vt Cermenati veteris tuì clientis has tametsi tenueis vigilias non dedigneris accipere. Nam mihi satis abundè factum arbitrabor, si eas tibi non displicuiße cognouero. Vale.



DE VNICO VEROQVE *Deo rerum omnium motore primo, cui soli Regibus & rerumpublicarũ Principibus viris innitendum sit. Deque multis falsisque Dijs quos debent ijdem Principes reijcere.*

CAPVT I.



X varia tam sacrorũ quã prophanorũ Authorũ, præsertimque ex Plutarchi lectione iam comperi, bonum Principem esse Dei veluti simulacrum quoddam. Quamobrem tam qui regẽdis principatibus, quàm qui rebuspublicis administrandis præsunt, scire debẽt, quemadmodũ in gubernandorum populorum mole sese veluti digniores effectus à prima causa

causa dependēteis haberi volunt, ita si bijpsis non solum cum Platone, Aristotele, ac Boëtio Seuerino, verumetiam cum Dauide, Iosaphato, ac Iosia Regibus confitendum esse, vnum aliquod numen sempiternum, primariúmque motorem existere, qui stabilis per seipse manens det cuncta moueri, quémque perfectioribus ab suis effectibus tanquam perfectissimā causam agnosci, amplecti, amari, ac venerari par sit, vt spiritu Dei se principes duci minimè dubitent: quin sibi potius persuadeant, ipsum Deum solum esse, cui ex animo fidere debeāt, cuique nihil aliud æquare posśint: dicántque cum Dauide: Deus meus fortitudo mea, sperabo in eo, scutum meum, et cornu salutis meæ: & cum apostolo Paulo, etiamsi sint, qui dicantur dij, nobis tamen vnus est Deus, qui operatur omnia in omnibus. In primis caueat Princeps ne prauis de Deo imbuat animum opinionibus: nam illi magis necessarium est benè sentire de ipso Deo, quàm cibo ve-

Plato in Parmenid. Arist. 1. 11. metaph. & in 8. Moral. Boë. De Consol. philosoph.

Psal. 17. 82 134.
1 Cor. 8. et 12

ſci quotidiano:cibus enim tantummo-
do corpus alit,at vera Dei cognitio nu-
trit animum,ſine qua cognitione regna
ipſa neque rectè gubernari, neque diu
conſiſtere valent.Quòcircà quum noſ
ſet optimus Deus, quàm pernicioſum
ſit & principibus, & populis aliquam
de ſeipſo ſiniſtram habere intẽtionem,
aut plureis ſibi Deos confingere, Mo-
ſem fidum ducem, ſuúmque peculiarẽ
Deu.3.6.10 populũ admonuit dicens, Audi Iſrael
Dominus Deus noſter, Dominus vnus
eſt.Et paulo poſt idem inculcat, inqui-
ens:Videte quòd ego ſim ſolus, & non
ſit alius Deus præter me:Ego occid &
viuifico,percutio,& ſano, neque quiſ-
quam ſubterfugit manum meam.Exo
di quoque.20.ait.Ego ſum Dominus
Deus tuus,qui eduxi te de terra Aegy-
pti non habebis Deos alios præter me.
Quæ omnia non eò tantum Dominus
dixit,vt principes,ac populi Deũ ipſũ
pro ſuo haberent,ſed vt etiam cauerẽt
ne ſub aliquo prætextu quicquam ali
ud ſibi proponerent ad adorandum &
in

inuocandum. Populorum igitur moderatoribus expedit intelligere non solũ, & vnum,& suum esse Deum, verum etiam quo cultu ritè sit honorandus, vt ipsius voluntati conformes hac in parte facti,euadant & ipsi sancti, iusti atque immaculati, quemadmodum idem Dominus est: ab illo vno pendeant,illi vni fidant,illum vnum operibus ab ipso iussis,non ab se inuentis colãt. Quid enim magis ridiculum est, quàm vana principum,ac populorum Ethnicorum superstitio? Namque hæc Iouẽ tempestatibus,Iunonem Lucinam partubus,Carerem frugibus, Neptunum aquis,Sapientiæ Mineruã, Amoribus Venerem,Morbis Aesculapium præfecerunt.Sed quid opus est peculiares hos recensere, quum Hesiodus Vates asserat,triginta Deorũ millia sua tempestate fuisse à mortalibus culta?vt prætereã interim quorundam eorum apud Romanos etiam tum inania,tumvituperosa,vt Cloacini & Priapi, atque alia eiusdem generis nomina. Quid ve-

Lactan: lib. 2. ca. 14.

ro dicendum eſt de ijs quos in ſuarum gratiam vxorum et concubinarum So lomon adorauit? Nonne de illo ſic ha-
3.Reg.11. bent ſacræ literæ? Mulieres inclinauerunt cor eius poſt deos alios, ita vt nō eſſet ſyncerum cum domino Deo ſuo, ſi cut cor Dauidis eius patris. Nam abijt Solomon poſt Aſthoret Deum Sidoniorum, & poſt Milcom abominationem Ammonitarum, deſignauitque quod diſplicuit domino. Non videtur alienum ab hoc inſtituto id etiam inſe
Cap.17. rere, quod quarto Regum libro legitur, nimirum ſingulas genteis feciſſe ſibi ſuos Deos, ac repoſuiſſe in fanis excelſorum, quæ fecerant Samaritæ. Qui ex Babel erant, fecerunt Nergal. Viri ex Hemat fecerunt Aſima, Auitæ fecerūt Hibbaz & Thartac. et Sepharnitæ combuſſerunt filios ſuos igne ipſi Adramalech, & Anamelech Dijs Sepharnaim. Et quāquā ſub hominū plurimorúmque aliorum animantium imaginibus ipſum ſe Deum colere prætenderent, nihilominus in reprobum ſenſum

ſenſum traditi grauiter illum offendebant: qui quum ſit ſpiritus, vult & ſpiritu & veritate adorari: ſuíque honoris Zelotypiam præ ſe fert maximã: Denique per Eſaiam exclamat: Reſpicite ad me, vt ſaluemini, omnes fines terræ: quoniam ego ſum Deus, & non eſt alius. Hunc Plato etiam mentem quandam æternam eſſe aſſerit: vnumque qui à ſeipſo ſit, quem in Speuſippo ſic finit, videlicet Eſſentiam (vt hac voce nunc vtar) quandam eſſe per ſe viuẽtem & immortalem, ad beatitudinem ſibi ipſi ſufficientem, ipſius boni cauſam, incorpoream, optimam, nulla re indigentem, cunctáque conferentem. De quo Chriſoſtomus quoque ſic ait. Nã Si Deus eſt, (quemadmodum eſt) nihil eo ſuperius: Si omnium conditor: primus: Si Dominus eſt: Princeps omniũ: omnia poſt ipſum & creaturæ, et ſecula. Quandoquidem igitur hæc de vero Deo vera opinio ſacra illa eſt anchora, cuj quum Principi, tum populo innitendum eſt, eáque diuinis è ſcriptis hau

ritur, debent ijs tantum principes ipsi fidem integram adhibere, omissis & somnijs, & visionibus, alijsque rebus omnibus, quæ scriptis ipsis aliquid aut addant, aut imminuant. Augustini verba ad Paulinam, De videndo Deo huc faciunt, qui ait: Nolo authoritatem meam sequaris, vt ideo putes tibi aliquid necesse esse credere, quoniam à me dicitur, sed vt scripturis canonicis credas. Quod autem non sic ostendero, vt aut corporis, aut animi sensu visum perceptumque teneatur, & tamen dixero aliquid, quod aut verum quidem, aut falsum esse necesse sit, sed nullum illorum duûm generum videatur, restat vt tantummodo credatur, vel non credatur. Sed si diuinarum scripturarum, earum scilicet, quæ canonicę ab Ecclesia nominantur, perspicua firmetur autoritate, sine vlla dubitatione credendum est. Videant itaque Principes, ac rerũ publ. Gubernatores ne per Apostolum Paulum à spiritu sancto superstitiosi cultus accusentur: Qui sanè Apostolus

Lib. 1. ca. 2.

Act. 17.

quum

quum constitisset in medio Martij vici ait: Viri Athenienses per omnia ferè superstitiosiores vos video: præteriens enim & contemplans culturas vestras inueni & Aram, in qua scriptum erat, Ignoto Deo: Quem ergo ignorantes colitis, hunc ego annuntio vobis. Deus qui fecit mundum & omnia quę in eo sunt, quum sit cœli, terręque dominus, non in manufactis templis habitat, nec hominũ manibus colitur, quasi vllius egenus, quum ipse omnibus vitam flatum, omnia denique conferat: fecitque ex vno sanguine omne genus hominum, vt inhabitarent per vniuersam superficiem terræ, definitis temporum opportunitatibus, quæ præstituit, & positis finibus habitationis eorum, vt quærerent Deum, si fortè palpando eum inuenirent, quanuis profecto non longe sit ab vnoquoque nostrũ: per ipsum enim viuimus, & mouemur, & sumus: Sicut & quidam vestratium poëtarum dixerunt: Nam huius Proge *Aratus.*

nies etiam ſumus. Progenies ergo Dei cum ſimus, non debemus exiſtimare auro, aut argento aut lapidi ſcalpturæ artis, aut cogitationis hominis numen eſſe ſimile. Eſaias quoque ait, Cui aſſimilabitis Deum? & quam ſimilitudinem diſponetis ei? nonne ſculptile conflat faber, & aurifaber ex auro expandit illud, catenáſque argenteas aurifex? nonne pauper oblationi lignum quod non putreſcat, eligit? artificem peritum quærit ſibi ad præparandum ſculptile ne loco moueatur? an non ſcitis? an non audiſtis? an non vobis annunciatum eſt à principio? an non intellexiſtis fundamenta terræ? Is ſedet ſuper Sphæram terræ, & habitatores eius vt locuſtæ ſunt: Qui extendit velut telam cœlos, & expandit eos tanquam tabernaculum ad inhabitandum: Quj redigit potenteis in nihilum: Iudices terræ velut inane facit. Etiam non ſunt plantati, neque ſati ſunt, neque etiam radices egit in terra trũcus eorum, & etiam flat in eos

Eſaias cap. 40.

arefcunt, turboque velut ftipulam aufert eos. Cui, inquam, affimilabitis me,& æquabor illi, dicit Sanctus? Caueant ergo Principes ac Rerumpub. Rectores, ne fibi nouum aliquem Deum, nouúmue illi cultum aliquem cõftituant, ne contra fe verum atque vnicum Deum & prouocent,& irritent.

NATVRA DEVM *incomprehenfibilem effe, Eoque magis vero cultu venerandum.* *Cap. II.*



VM Princeps Deũ ipfum pro folo, fuoque Deo habere debeat, vt diuina teftãtur oracula, neceffe eft etiã eũ fcire Deũ eundem naturam quandam effe, quæ perfectionem atque excellentiam omnẽ fine principio, & fine fine in fe cõtineat: quamquidem naturam neque

angeli, neque homines, vt in seipsa est, possunt agnoscere, nam si capi ab vlla creatura valeret, iam non esset incomprehensibilis, neque sensum omnem atque intellectum eius euinceret sapientia. Quamobrem etiam Paulus Apostolus Esaiæ sen-
1.Rom.1 tentiæ adstipulans ait, O profun-
Esa.40. das diuitias tum sapientiæ tum cognitionis Dei: quàm inscrutabilia sunt iudicia eius, & imperuestigabiles viæ eius. Quis enim cognouit mentem Domini? aut quis ei fuit à consilijs? Ergo si Dei iudicia, quæ ipsius naturæ solum modo sunt effectus, incompræhensibila sunt, quanto magis eadem ipsa natura in se erit incompræhensibilis, Etenim quod ab alio capi potest, ipso
1.Cor.13. capiente minus esse necesse est. Igitur ab sese tantum non ab vlla re alia compræhenditur Deus. Neque obstat quod Paulus inquit, tunc
31.Eist. cap. facie ad faciem contemplabimur

eum

eum, non enim dicit, comprehendemus. Eodem modo cùm Ioannes ait, videbimus eum ſicuti eſt, non aſſerit nos ipſius naturam comprehenſuros, nam ſi id fieri poſſet, haud eſſet incomprehenſibilis Deus. Quapropter Moſes allocuturus Iſraëliticum populum Dei nomine, inquiebat: Si me interrogauerint, quod eſt nomen eius? quid illis reſpondebo? tunc dixit Moſi Deus. Sum qui ſum: Sic dices filijs Iſrael: SVM miſit me ad vos. *Exod.ca.3.* Aliud eſt rem aliquam videre, aliud ipſius rei naturam penitus comprehendere, ac definire, verbi cauſa poterit quis videre Smaragdam, qui tamen eius vim & naturam comprehendere ac definire minimè poterit: Quod & Auguſtinus affirmat ad Paulinam, de videndo Deo ita ſcribens: Aliud *Lib.1.ca.8. & 9.* eſt enim videre, Aliud eſt totum videndo comprehendere: quandoquidem

id videtur,quod prę{s}ens vtcunque {s}entitur:totum autē comprēhenditur vidēdo,quod {s}ic videtur,vt nihil lateat vidētē & paulo po{s}t,Fineis,inquit,circū{s}picere potes annuli tui:non {s}ic par e{s}t cōprehendere,quid {s}it natura Dei. Com plureis commemorant {s}acræ literæ, qui {s}e Deum hąc in vita vidi{s}{s}e te{s}tati {s}unt,nempe Abrahamum,I{s}aacum,Iacobum,Iobum,Mo{s}em, Micheam, & E{s}aiam.De Mo{s}e nanque {s}ic habetur: quod loquebatur cum Deo facie ad faciem,quemadmodum quis loquitur ad amicum {s}uum:Si inueni gratiam apud te,o{s}tēde mihi temetip{s}um. Quid ergo? Ille non erat ip{s}e? Si non e{s}{s}et ip{s}e, non ei diceret, o{s}tende mihi temetip{s}um, {s}ed o{s}tende mihi Deum: & tamen {s}i eius naturam {s}ub{s}tantiamque con{s}piceret, multo minus diceret, o{s}tende mihi temetip{s}um. Ip{s}e ergo erat in ea {s}pecie, quam apparere voluerat:non autem ip{s}e apparebat in natura propria, quam Mo{s}es videre cupiebat. Hæc Augu{s}tinus.


Exod.33.

Ambro{s}ius

Ambrosius quoque, vt idem Augustinus annotauit, ita dicit plenitudinem diuinitatis eius nemo conspexit, nemo mente aut oculis comprehendit. Iosephus itidem contra Appionem atque illius fautores hoc modo scribit: Deus habet omnia perfectus, beatissimus, ipse sibi cunctisque sufficiés, principiũ, & medium, & terminus. Inter omnia siquidem operibus & muneribus clarus, & totius rei manifestus. Forma verò & magnitudine nobis inenarrabilis. Præterea Chrisostomus super Ioannẽ ait: Quod si hęc satis nõ sunt ad omnia ostendenda, nulla te admiratio teneat: de Deo enim nobis est sermo, quẽ neq; dicere, neque intelligere pro ipsius magnitudine quisquam potest: Ideò Ioannes substantiæ nomen nequaquam affert, quippe quum dici nequeat, quænã Dei sit substantia vbique autem eũ nobis ex operibus manifestat Dei filius, qui dixit, ego & pater vnũ sumus: ego in patre, & pater in me est: illum comprehendit, ac reuelare potuit: Nam

De Antiq. Lib. 2. Capi. 6.

Cap. 1. Hom. 5.



Deus,inquit, Spiritus eſt: Et Ioannes, Deus lux eſt: Moſes itẽ, Deus ignis eſt ardẽs, vt ex naturæ ipſius effectibus, varijs nominibus appelletur, de quibus nobis nunc non eſt dicendum. Simonides ab Hierone interrogatus quid eſſet Deus, ad reſpõdendum ſibi diem vnum poſtulauit. Quum idem poſtridie eius diei quæreret, biduum petiuit. Quum ſæpius duplicaret numerũ dierum, admiránſque Hiero quęreret, cur ità faceret: quia, inquit, quantò diutius conſidero, tãtò mihi res videtur obſcurior. Ad hæc Plato quum de Deo loqui vellet, dicere quid ſit, non eſt auſus: hoc vnum de illo ſciẽs, quod ſciri, qualis ſit, ab homine non poſsit. Quantô itaque magis à Deo cùm Principes tũ populi extolluntur: eò magis hunc & ſuum Deum, & actorum ſuorum moderatorem vnicum agnoſcere debent: cuius maieſtas nunquã non ſit ſibi ipſis præſens: quemadmodum Auguſtinus Hieremiæ prophetæ verbis vtens ait: Nuſquã enim abſens eſt, qui cœlum, ac

terrã implet, nec ſpatijs includitur par
uis, magniſue diffunditur: ſed vbiq; to-
tus eſt, & nullo cõtinetur loco. Recto-
res igitur populorum ſanctè perpendẽ
tes, hac in parte peculiarem quandam
in ſeſe habere imaginem Dei, quocun-
que tẽpore, quauis in re adhærere huic
vni debẽt, ne vſquã impingere, aut erra
re cõtingat: huius fauorẽ ſuis & theſau-
ris, & regnis præponãt, quẽ non modò
ſuorũ dominatuũ, ſed cœli ac terræ o-
mniúmque elementorum imperiũ ha-
bere pro cõperto habẽt. Stabilior ergo
in ſuo regno eſt Princeps, qui cauſæ,
quæ immobilis eſt, innititur: Quod
etiã theologi omnes affirmãt, quum in-
quiũt: vnũquodque quãtò propinquius
eſt ęternitati, tãtò eſt firmius: vel omnis
effectus quantò magis cauſæ motum
ſequitur, tanto fit perfectior. Principes
itaque nobiliorem ſe eſſe Dei quẽdam
effectũ agnoſcentes, eò meliores erunt
quo ſuæ cauſæ viciniores exiſtent. Si- *2. Paral. Cap. 16.*
bi-ipſis perſuadeant, oculos domini *Pſal. 60.*
contemplari vniuerſam terram: ne- *Heb. 4.*

que vllam eſſe creaturam non manifeſtam illli, quum ante conſpectum eius omnia ſint & nuda, & reſupinata. Id erit in cauſa, ne ſua malefacta poſſe Deum latere exiſtiment. Qui veluti anima eſt quæ (vt Pythagoras voluit) per ſui ,orporis parteis omneis diſcurrit. Nam hîc Orphei, Lini, Homeri, Heſiodi, Aarti, multorúmque aliorum opinionem de Deo recenſebo, ſed ſolũ quid Mileſius Thales hîc ſenſerit, indicabo: de quo Valerius Maximus ità refert: Mirificè etiam Thales, nam interrogatus, an facta hominum Deos fallerent: nec cogitata, inquit, vt non ſolum manus, ſed etiam mẽteis puras habere vellemus, quum ſecretis cogitationibus noſtris cœleſte numen adeſſe credidiſſemus. Ideò principi cauẽdum, vt neque clàm, neque palàm aliquid perpetret, quod immenſam hanc magnitudinẽ Dei cuncta videntis & comprehendentis offendat, ne velut inutilis effectus cauſæ ſuæ priuetur influxu.

De admi-

DE ADMIRABILI PROuidentia Dei quam rebus omnibus præſertim verò Principibus regendis oſtendit: per quos etiam maximi momenti negotia exequitur, abſoluit.

CAP. III.



VANDOQVIdẽ Maximus Optimúſque Deus primaria atque vniuerſalis eſt cauſa, particulareis quoque ad illam reuocari æquum eſt: Mundúmq; ipſum tanquam exercitum ad ſuũ ducem reduci. Nam quum is effectus Dei ſit, à ſua cauſa, quę rebus omnibus præſens adeſt, regi, adminiſtrariq; neceſſe eſt. *Iere.23.* Deum autem eſſe rerũ cauſam & formalem, & efficientem, & finalem videmus: formalem quidem, quia res omnes & viſibiles & inuiſibiles ab hac ipſa formam atque eſſe recipiunt: nam cauſa formalis eſt illa, quę dat eſſe rei, *Ariſt. Phyſ.*

& eam

& eam conseruat in esse, vt non homines tantum, sed reliquas etiam omneis creaturas ad finem ab se destinatum perducat: peritum enim artificem non instrumẽta modo exercere, sed in quẽ finem etiam exerceãtur oportet agnoscere. Quamobrẽ Deus quum rerum omnium causa sit, easdem quoque ad eum conducit finem, ad quem per seipsum deputatæ iuxta propriam naturam sunt. Etenim vt in sua sapientia creauit omnia, sic sapienter omnia mouet, & gubernat, in séque ipso regimen continens vnicuique rei, siue magna siue parua sit, prouidet. Hoc stulti hac in parte increduli que philosophi minimè perceperunt: Qua de causa etiam multos in errores incurrêre, mundum casu consistere, ex atomísque esse compositũ, & quodlibet in quolibet esse (vt Anaxagoras putauit) asseuerantes. Alij verò quum naturam ordinatè procedere conspicerent, Dei circa res humanas prouidentiam negabant: vt Iuuenalis etiam dixerit.

Sunt

Sunt qui fortuna iam casibus omnia ponunt:
Et nullo credunt mundum rectore moueri.
Natura voluēte viceis, & lucis, & anni.

Porrò quum nihil aliud sit prouidētia, quàm ratio ordinis rerũ in finem atque hæc propriè in vno tantum Deo reperiatur, huic soli competet non necessitate naturæ, sed intelligētia, & voluntate, ac sapientia, quæ summa in illo est, omnia rectè disponere, omnibus prouidere, atque in finem suum cũcta dirigere. Mosi David non absimilis inquit, Verbo domini cœli facti sunt, & spiritu oris eius omnis virtus eorum. Qui extendit terrã super aquas, quoniam benignitas eius sempiterna est. Qui fecit cœlum & terram, & cætera, quæ sequuntur. Hîc præterea considerandus est cœlorum, stellarum, ventorum, ac nubium motus: niuium, roris, ac tempestatum defluxus: necnon quēadmodum Deus Austrum flare iubet, vt liquefactis niuibus, terráque calefa- *Psal. 62.*

cta vbique excrescant herbæ. Quanquam his de rebus & in veteri: & in nouo testamento frequens est mētio. Re-
Psal. 145. gius enim Psaltes ait: Qui stellas innu-
& 146. mero habet, & vniuersa vocat nominibus suis. Magnus Dominus & laudabilis valdè, & magnitudinis eius non est inuestigatio. Qui operit cœlum nubibus, & parat pluuiam terræ, & producit fœnum in mōtibus: Qui dat niuem tanquam lanam, & pluuiam spargit vt cinerem. Et proijcit glaciem suā vt laminas: Quis frigus ipsius sustinebit? missóque verbo suo liquefacit hæc, & vento suo afflat, vt aquæ fluant. Tuus est dies, tua etiam nox, tu lucem ac solem præparasti, tu cunctos fines orbis constituisti: Æstatem & hyemem tu finxisti. Et alibi: Qui facit Cynosuram & Bootem & cætera. Ostendunt insuper Dei prouidentiam sacræ literæ in hoc, quod ipse Deus mirabiliter præparat & victum & vestitum brutis etiam animantibus, sic enim habēt: Oculi omniū in te sperant, & tu das illis escam suam

in tempore ſuo. Tu aperis manũ tuam, & ſaturas deſiderium omnium animãtium. Qui dat pecori ſuum paſtum, & pullis coruorum, qui eũ inuocant. Item cõſiderate aueis cœli, & lilia agri, quomodo creſcant: non laborant, neque nent, & Deus tamen ſic paſcit & ſic veſtit illas. Hoc idem etiam in negatiuis ac ſenſitiuis rebus obſeruandum eſt. Nec minus cœlorum ac ſtellarum tam mobilium quàm immobilium pulcherrimum ordinem, ſoliſque, ac lunæ ſtatas viceis intuebimur: Quæ omnia ipſius Dei gloriam & prouidentiam apertiſsimè prædicant. In ſole peculiariter contemplandum erit, quàm firmo totius anni circulum pererret ordine, atque hyeme decliuis Capricornum, æſtate verò ſublimis Cancrum petens, varias, vtileis, ac iucundas temporum viciſsitudines efficiat. Similiter & ventorum natura conſpicienda eſt: & quẽadmodum inter ſeſe nonnunquam obluctantur: varijs temporibus fluant: diuerſis qualitatibus afficiuntur adeò,

Iob. 37.
Matt. 6.

Comment. in Meta. lib. 2. ca. 7.

vt is humidus, alter ſiccus, ille calidus, frigidus alius habeatur. Mirum verò quod ſeorſum de Cæcia refertur, vt ad ſe vapores ac nubeis trahat, ità vt ſit prouerbio locus datus: Attrahit ad ſe mala, vt Cæcias nubeis. Atque hi quidem venti ex diuina prouidentia ſignis cœleſtibus ſubijciuntur: vt aſtrologi, præſertîmque Iulius Firmicus, de ipſorũ vnoquóque doceret: per ſeriem inſuper indicantes quid efficacitatis hæc ipſa ſigna, ſic eadem diuina prouidentia diſponente, in ſingulas res ſibi ſubiectas habeant, & in qua cœli atque aëris parte magis vigeant. Quid? quod ijdem mathematici quum ætati tum membris humani corporis planetas etiam, reliquáque Zodiaci ſigna præeſſe voluerunt? Extat Manlij poëtæ de duodecim eiuſmodi ſignis carmen ad Auguſtum Cæſarem in hæc verba.

Lib. 3. Aſtron. ca. 11.

Accipe

Accipe diuisas hominis per sydera parteis,
Singulaque in proprijs parentia signa figuris:
In queis præcipuas toto de corpore vireis
Exercent. Aries caput est ante omnia princeps
Sortitur: cēsusque sui pulcherrima colla
Taurus: sed Geminis æquali brachia sorte
Scribuntur: connexa humeris, pectusque locatum
Sub Cancro est, laterum, renum, scapulæque Leonis:
Virginis in propriam descendunt ilia sortem:
Libra regit Cluneis: & Scorpius inguine gaudet.
Centauro femora accedunt: Capricornus vtrisque
Imperat in genibus: crurum fundentis Aquari,
Arbitrium est: Piscésque pedum sibi iura reposcunt.

An non

An non & Cometæ, qui casus varios portendunt, prouidentiam nobis diuinam ob oculos ponunt? vt qui etiam in Aristotelis Meteororũ opere commentarios edidit, appositis carminibus indicauit.

Tu sterileis agros & inania vota colonis
Siccus, & efferuẽs sæue Cometa facis.
Quum crinem ostentas, tunc ventorum impetus vrget
Oppida: Tu bella & sanguinolenta moues.
Principibus letum tu seditiosa minaris:
Sic varijs mundus ducitur auspicijs.

Quid hîc de animalium natura, déque arborum, florum, herbarum, radicum, liquorum, vnguentorum, aromatũm, medicinaliúmque misturarum vi proprietatéque dicemus? quę omnia non minus humanis necessitatibus, quàm aut cibus, aut elementa conducunt: frequentius enim morbi medicaminibus quàm pastu curantur: id quod in causa est, vt medici sint ab omnibus honorandi, vt pote qui rebus in huius-

mo

modi & consilio, & auxilio mortalibus esse possint. Hoc igitur quoque Dei pro uidentiã euidẽter ostẽdit: q creatis ab se rebus virtutẽ ad homines iuuandos cõtribuit: eatenus nãque res habentur bonæ, quatenus iuuant: nisi aliquod hîc peculiare Dei iudicium adsit, quod vetet id efficere, quemadmodum olim Israëlitico populo interminatus est, dicens: Comedetis, & non saturabimini. Verũ quoad nihil aliud nobis constat, quàm, è sacris literis institutus viuendi ordo, non debemus ea, quæ nobis iuuandis parauit, contemnere: nimirum sic existimantes omnipotentem esse Deum, qui sua quadam recondita virtute nobis auxiliari valeat. Nam id esset omnino Deum ipsum tentare, vt phrenetici quidam audent asserere nullam pesti grassanti medicinam adhibendam esse. Forsitan ijdem vrgebunt aliquando neque bibendum neque comedendum in tali morbo, quum pascere nos per se Deus, & posit, & velit. Potest quidem, sed non vult Deus nisi per interiecta

media cum pascere, tum mederi, quẽad modum etiam in alijs ab se creatis rebus facit, Etenim creaturæ sunt instrumenta, sub quibus tectus operatur Deus omnipotentia sua. Creaturas a bijce, & Creatorem abiecisti Non dico te creaturis addictum fidere, spreto creatore: sed volo te in creaturis Creatorem, eiusque prouidentiam agnoscere, ac re-
Eccl, cap. 38. uereri. Hæc Althamerus. De Medico autem ac medicina scriptum est. Medicum affice suis honoribus propter necessitatem, etenim Dominus illum creauit. Nam ab altissimo est medicina: & à Rege gloriam consequetur. Scientia medici extollit caput eius, & corã principibus est admirabilis. Dominus medicamenta procreauit: & vir prudens
4. Reg. 20. ea non abhorrebit. Ezechias Rex massam ficuum ex Esaiæ consilio imposuit
Tob. ii. vlceri, & conualuit. Tobias Item oculis captus adhibito per filium piscis fel le, visum recepit. Quod si Deus tam elementis, quàm rebus ex eisdem compositis nullam opis ferendæ vim cõtribuisset

buiſſet, nihil penitus auxilij mortalibus ferre poſſent: Nã neque ignis calefaceret, neq; ipſum ignẽ aqua extingueret: neque quicquã aliud omnino eſſet, qđ vllã in ſeſe iuuandi virtutẽ contineret. Neque Solomoni omnium ſapientiſsimo fuiſſet opus de arboribus, de herbis de Quadrupedibus, de ſerpentibus, de volucribus, de piſcibus tam copioſe diſſerere: fruſtra enim in ijs omnibus pertractandis inſudaſſet. Verùm obſecro te quiſquis es, qui rebus iam creatis vti nihil aliud eſſe, q̃ à diuina prouidentia recedere arbitraris: quo pacto nutrirentur vbique locorum gentes, quibus creatæ res in vſu nunc ſunt? neceſſe eſſet ipſum Deum fructus alios creare, vnde victus conſiſteret. Sed enim quũ Deus ac Natura, teſte philoſopho, nihil agãt fruſtra, res omneis iuuãdis hominibus creatas eſſe dicendũ eſt. Nonne etiã fontes aliquot mirabiliter explicãt naturæ vireis? quorũ quidẽ ingeniũ Ouid. ꝑter alios elegãter in metam. 15. volumĩe ex ſnĩa Pythagoræ deſcribit his carminib.

3. Regũ. 4.

Philoſophi dictum.

Ante bibebatur, nunc quas contingere nolis,
Fundit Anydrus aquas: postquam (nisi vatibus omnis
Eripienda fides) illic lauere Bimembres
Vulnera, clauigeri quæ fecerat Herculis arcus.
Quid? nõ & Scythicis Hypanis de montibus ortus
Qui fuerat dulcis, salibus vitiatur amaris? Et paulo post.
Pauca super referam. Quid? non & lympha figuras
Datque capitque nouas? Medio tua corniger Hammon.
Vnda die gelida est: ortúque obitúque calescit.
Admotis Athamantis aquis accendere lignum
Narratur, minimos cùm Luna recessit in orbeis.
Flumen habent Cicones, quod potum saxea reddit
Viscera: quod tactis inducit marmora rebus.

Crathis

Crathis, & hinc Sybaris nostris conterminus oris
Electro similes faciunt, auroque capillos.
Quodque magis mirum: sunt qui non corpora tantum.
Verum animos etiam valeant mutare liquores.
Cui non audita est obscœnæ Salmacis vnda?
Aethiopésque lacus? quos si quis faucibus hausit,
Aut furit, aut patitur mirum grauitate soporem.
Clitorio quicunque sitim de fonte leuauit,
Vina fugit: gaudétque meris abstemius vndis.
Seu vis est in aqua calido contraria vino.
Siue, quod indigenæ memorant, Amythaone natus
Prœtidas attonitas postquam per carmen & herbas
Eripuit furijs purgamina mentis in illas

Misit aquas, odiúmque meri permansit in vndis.
Huic fluit effectu dispar Lyncestius amnis.
Quem quicunque parũ moderato gutture traxit,
Haud aliter titubat, quàm si mera vina bibisset.
Est lacus Arcadiæ: Pheneum dixere priores:
Ambiguis suspectus aquis: quas nocte timeto,
Nocte nocent potæ: sine noxa luce bibuntur.

Quod si Deus inanimatas res ita curat, quanto magis animatas curabit? præsertimque proteget, quos elegit, ne iniustè opprimãtur ab aduersarijs: quẽadmodum Psaltes regius Dauid multis in locis planè testatur. Christus etiã suis inquit, ne timeatis eos, qui occidũt corpus: animæ verò nihil inferre mali possunt: aliásque id genus quamplurimas consolationes adnectit. Vt & petrus Apostolus ait: omnem vestram in Deum

Psal. 144. *Matth. 10.* *Petr 1, 5.*

Deum coniicite solicitudinem, quoniã ille vestri curam habet. Sed de huiusmodi aliâs plura. Visum est supra, Deũ non modo creatarũ rerũ Authorẽ esse, atque in destinatum finem illas dirigere, verum etiam Regnis ac Prouinciis eam administrationem, ac temporum qualitatem adhibere, siue prosperam, siue aduersam (vt infra dicetur) quam idem ipsis expedire iudicauerit, vt æterno suo decreto fiat satis. Quod sane decretum licet humano sensui prauis opinionibus infecto, aut non bonum aliquando aut iniustum esse appareat; nihilominus quum summa iustitia, summa sapientia, atque adeo summum bonum Deus ipse sit, non nisi iustè, nõ nisi sapiẽter denique, nõ nisi optimè disponit, ac moderatur omnia. Neque mirũ alicui videatur, Respub. per plureis quidẽ homines, Regna verò ꝑ vnũ tantũ administrari, quando ꝑfectissimũ numẽ illud nõ iuxta ꝓportionem Arithmeticę, sed iuxta suũ beneplacitum hæc metitur. Ergo veluti principes

viri debent ea regiminis conditione, quam Deus concesserit, esse contenti: Sic populos debet, ęqui bonique facere quacunque tandem gubernatione regātur. Si bona contigerit, agant læti gratias Deo: Sin secus, patienter tolerent: illiusque mutationem expectēt ab ipso Deo, qui principes, prout sibi visum est, nunc extollit, nunc deprimit: quemad-
Cap.2. modum propheta Daniel nos admonet dicens: Sit nomen Dei benedictum à seculo & vsque in seculum: quia sapientia & fortitudo eius est: Et ipse mutat tempora, & ætates: aufert Reges: & cōstituit Reges dat sapientiā sapiētibus, & scientiam scientibus intelligentiā. Idē reuelat profunda & abscondita: nouit id quod est in tenebris: & lux cum eo manet. Igitur vt victoriæ, lætaque omnia, sic & fames, & pestis, & bella, & strages, & eiusdem generis afflictiones
Cap.3. alię sunt à Deo, veluti nos Amos Propheta docet, inquiens, nunquid erit malum in ciuitate, quod Dominus non fecerit? Hîc erit pariter obseruādū ab ipso

De

Deo principũ corda diſponi, vt quas li bitũ eſt illi, prouincias exequantur. *Prouer. 21.* Qua de re Solomon ait: velut riuuli aquarum: ita eſt cor Regis in manu Domini: ad omne quod vult, inclinat illud. Omnis via viri recta eſt in oculis eius: põderat autem corda Dominus. Et alibi: Homo inſtituit in animo, ſed à Domino ſermo linguæ eſt. Compertiſſimum rei huius exemplum ſacræ nobis proponunt literæ in Balaamo. *Nume. 23. Cap. 12.* Ad hæc de principibus ità loquitur Iobus. Qui immutat cor principum populi terræ, & errare facit eos in ſolitudine abſque via. Inſtituit præterea De⁹ Principes ad bellum, atque illos forteis & animoſos facit. quo pacto Dauid *Pſal. 17.* rex de ſeipſo dixit, Deus eſt qui me inſtruit heroica virtute, & viam meã expeditam facit: Inſtruit manus meas ad pugnã, dátque vt arcum chalybeũ brachijs meis confringã. Tu prætendis mihi clypeum ſalutis tuæ: dextera tua ſuffulcit me. Proſternis ſub me quotquot contra me inſurgunt. Efficis vt terga

vertãt mihi hoſtes mei, & vt perdã oſo res meos. Idcirco prouidẽtia Dei frequẽter ex hoſtibus talem victoriam refert quã nemo vnquam exiſtimare potuiſſet: vt Moſi contigit aduerſus Pharaonẽ, vt Ioſuæ, vt Othonieli, vt Aodo, vt Gedeoni, vt Dauidi contra Goliathum ac Palæſtinos. Nunc etiã animaduertamus quantam adhibeat curã Deus ijs Principibus ſeruandis, per quos ingentia patraturus eſt opera. Quàm mirifice vel vſque ab incunabulis adfuit Moſi, quam diligẽter Dauidi, quos ſuo populo præfecturus erat: quã clemẽter ex impijs manibus crudelis & ſanguinariæ Athaliæ ſurripuit Ioa. Quid? an non idẽ etiã cũ nõnullis ethnicis regibus feciſſe Deũ alicubi legimus? lupã ſitientẽ ad Romi Remíque fratrũ ad Tyberim expoſitorũ puerilẽ vagitũ curſum flexiſſe. T. Liuius author eſt: adeóque mitẽ infantibus mãmas præbuiſſe, vt lingua lambentẽ pueros magiſter regij pecoris inuenerit. Alios quoque Principes ab irrationalibus alijs animalibus educatos fuiſſe ſcriptũ eſt. Quæquidẽ

Ioſ.1. Iud.1.

Exo.1.& 2. 1.Reg.2.

1.lib.ab vrbe condita.

educationes quãuis ex parte fabulosæ sint, pro ea tamẽ qua veritatẽ continẽt parte, hîc etiam Dei prouidentiã præsentẽ esse demonstrãt. Cæterũ vt extollit, quos vult, sceptrísque exornat Deus, ità quos vult: è solio deponit, ac dominatuũ administratione priuat: quẽadmodũ cũ Saulo inobsequente, cũ Ioabo, cũ Ietoboamo, cũ Achabo, cũ Sedechia, cũ Sardanapalo, cũ Tarquinio superbo multísque alijs factũ fuisse cõperimus: Regna verò iuxta diuinã prouidentiã Principibus tribui, vel ex hoc patere liquidò potest, q̃d nemo vnus inter mortaleis omneis tãta dexteritate, tãto ingenio, tantóque robore præditus esset, vt sibi populos, ac nationes subijcere, subiugaréque valeret, nisi hominũ corda Dei ordinatio ita disponeret, vt illius administrationi colla submittere sustinerẽt. Huic sentẽtiæ Solomon astipulatur his verbis: Audite reges, & attẽdite: discite rectores finium terræ: Auscultate qui multitudini imperatis, & vobis in gentium turbis placetis. Vobis sanè à Domino imperium, à supremo potestas

1. Reg. 2. & 21.
4. Reg. 15. 22. & vlt.
Sap. 6.

est data. Dominus quoque Prouerbiorum octauo per eundē ait. Per me Reges regnāt: & Gubernatores iusta sanciunt, & eiusdē generis cætera, quæ sequūtur. Atque ob id Principes eò demissiores ac mansuetiores esse debent, quo sublimiorem statum à Deo se accepisse cognoscunt. Vnicuique ipsorū animo versandū est, se nō nisi vnū esse hominē, qui neutiquam, vt reliqui homines obtemperarēt sibi obtinere posset, nisi miraculosa quadā Dei dispositione id fieret: ob quam profectò nō minus illi gratiæ agēdæ sunt ipsi Deo, quàm ob id etiā, quod amplissimū regnū, maximos thesauros possideat. Exemplum è Cyro sumere licebit, qui cùm Assyrios debellasset, dixit: omnia regna terræ dedit mihi Domin⁹ Deus cœlorū. Agrippa rex itē Iudeos cōtumaceis ac refractarios alloquens, elegantissima, quam ad illos habuit, oratione sic intulit. Credite mihi, quod sine Deo impossibile esset imperium tale consistere. Titus etiam Vespasianus cuidā sibi per fraudem

Quid principi versandum in animo sit.

2. Paral. vlt. 1. Esd. 1.

Ioseph. de bel. Iuda. li. 2. cap. 16.

dem eripere dominatum conanti dixit: Imperium non niſi cui Deus conceſſerit, obuenire poteſt. Paulus quoque Apoſtolus Petro conſentaneus, ait: Nulla eſt poteſtas niſi à Deo: & quæ ſunt poteſtates, eæ à Deo ſunt inſtitutæ. Itaque qui poteſtati repugnat, Dei inſtitutioni reſiſtit. Quocirca ſi mens humana diuinam hanc prouidentiam in cõſtituendis populorum, gentiúmque rectoribus rectè perpendet, fructus quãplurimos, atque optimos quidem illos conſequetur. Primùm leuius erit obedientiam præſtare. Deinde tolerabilius (quoquo modo à Principibus tractetur) ſanè ſufferet. Quod ſi iuſt⁹ ac pius contigerit magiſtratus, non ſolum habebit gratiam Deo, ſed preces inſuper fundet, vt ipſe Deus illi adſit, faueátque perpetuò: nec vnquam illum ſinat aliquid contra diuina præcepta deſignare. Si værò iniuſtus atque impius euenerit, precabitur Deum, vt ab huiuſmodi prauitate, iuxta ſuam nihilo-

Rom. 13.

minusvoluntatem,illum remoueat:atque efficiat, vt sanctissimis suis præceptis lubens obsequatur.Itaque fiet, vt
Rom.8. eadem mens humana quiescat magis: neque seditiones vllas,aut tumultus eã ob causam excitet:aut contra Deum aliquo pacto murmurare audeat. Electis enim omnia sunt adiumento ad bonum. Stomacho namque valido quum sint, omnia concoquunt ac digerunt,in suámque ipsorum vtilitatem conuertũt. Verumenimuero quemadmodum ordinandis conseruandísque pro temporum conditione magistratibus, ac prouincijs præest, (vt iam diximus) ipse Deus, ità suorum electorum hæc incolentium loca peculiarem sibi vendicat curam. Etenim tantum diuini Spiritus, gratiæque illis impartit, vt mihi etiam conseruentur. Dominus (inquit Dauid)non deserit suos,in æternum conseruabuntur. Non Sathanæ subiecti sunt amplius potestati, quia iam Christo insiti, cœlestem hæreditatem expectant, quam ipse primogenitus

tus ex mortuis adeptus est Christus. Cúmque se adoptatus in Dei filios esse minimè dubitent, vt qui eius rei pignus & arrhabonem suis in cordibus persentiscant. Deum sibijpsis parentem esse pro comperto habent: audéntque (quod Apostolus Paulus ait), exclamare: Abba Pater. Et procul dubio is ille est benignissimus Parens, de quo vates egregius Esaias inquit: Num obliuioni tradit mulier infantem suum? quominus misereatur filij vteri sui? Sed esto obliuiscantur illæ: ego tamen non obliuiscar tui. Hoc fidelium cœtui pollicetur Deus: Qui quum sit optimus Pater, non modò non obliuiscitur filiorum, sed potius eorum necessitatibus atque indigentijs prouidet opportunè. Principio suos elegit Deus in Christo Iesu antequam iacerentur fundaměta terræ, suóq; illos dignat⁹ est in eodem, fauore spiritali: Deinde curauit, vt bonis operibus abundarent, quandoquidẽ è mũdi fæcibus extracti

Cap. 49.

Qualis sit Deus in suos.

cœlestium thesaurorũ largitori Christo sunt traditi, vt illi similes, quatenus fert humana conditio, fiant. Atqui te-
Io. 6. 8. & 15. statur is dicens de suis ouibus: Nemo rapiet eas de manu mea. Quin eisdẽ ver-
Psal. 17. bum vitæ preparauit, vt illarum pedibus lucerna sit, ne falsarum erroribus doctrinarum ipsas illaqueari cõtingat. Non permittit præterea, vt sui supra quàm ferre possint, aliquo modo tentẽtur, sed cum tentatione facit etiam exitum vt sustinere queant. Quapropter quoniam sub Dei protectione sunt electi, præcipuam ipsorum curam sese ha-
Psal. 36. & 90. bere is idem ostendit: attestante Dauide, qui ait: Dirigu ntur à Domino gressus viri: & via eius grata est ei. Quũ ruit nõ corruit: Dominus enim fulcit manum eius. Salus iustorum à Domino, qui & fortitudo eorum est in tempore afflictionis. Adiuuabit eos Dominus, & liberabit illos, liberabit eos ab impijs. Seruabit eos quoniam sperauerunt in eum. Dominus est refugium, & asylũ iustorum, sub vmbra alarum eius sem

per

per morantur. Castra figit angelus Domini circum eos, qui ipsum timent, & eripit eos. Quum diuinæ insuper doctrinæ, aduersarijs respondendum est, suis dat os Deus & sapientiam, vt contradicere illi minimè valeant. Ob ingentem igitur hanc prouidentiam, qua numen illud supernum suos curat, Christus Apostolos ad euangelicam veritatem prædicandam missurus admonuit, ita inquiens: Cauete homines: sistent enim vos in Concilio: inque suis Collegijs verberabũt. Quin ad Principes quoque Regesque ducemini propter me, vt eis, exterisque gẽtibus sitis testimonio. Cũ autem sistent vos, nolite curare, quomodo, aut quid loquamini, suggeretur enim vobis eadẽ hora, quid loquamini: non enim vos eritis, qui loquemini, sed patris vestri spiritus in vobis loquetur. Tanta porrò suorũ cura tenetur Deus, vt filius, qui congenitus est patri ex hoc mundo abiturus illis dixerit: Non relinquam vos Orphanos: Vado, & venio ad vos: Et vobiscum sum omnibus

diebus vsque ad finem seculi. Illud postremò singulari dignum est obseruatione, videlicet ipsum Deum tanta suos electos charitate prosequi, vt suum filium ad illorum inducenda delicta cruci prius affixum, à resurrectione postea & aduocatum & patronum apud se illis ijsdem esse voluerit, vt huius internuntij cum precibus tum meritis in perpetuum placatus, eiusdem eis & sanctificationem & iustitiam, propria carentibus ascribat. Quo demum fit, vt non amplius iam sibi ipsis, sed Deo viuant, eiusque arbitratu sese moueri, ac regi facile patiantur: Quemadmodũ Paulus Apostolus de vero Deo loquens Atheniensibus dixit: In ipso viuimus, & mouemur, & sumus. Idem suos Philippenseis Christiana doctrina instituens inquit: Deus est, qui agit in vobis, & vt velitis, & vt efficiatis. Nam vt etiam Solomon ait: In eius (nempe Dei) manu & nos sumus, & sermones nostri: omnisque prudentia & artium peritia.

Act. 17.

Cap. 2.

Sa. cap. 7.

De

DE MONSTROSA *quorundam Principum natura:& in quem finẽ destinet illam Deus.*

CAPVT IIII.



Vo pacto suá Deus prouidentia rebus omnibus tam cælestibus quàm terrestribus, præcipuéque regnis pro temporum opportunitate ministrandis, denique suis etiam electis gubernandis præsens adsit, nonnihil dictum est supra. Nunc reliquum esse videtur, vt hîc indicemus quî fiat, vt inter Principes quidam non homines, sed hominum potius monstra sint:& quomodo ad suã ipsius voluntatem exequendam iis vtatur

Deus. Philosophi Deum ipsum & naturam nihil frustra operari aiũt, atque ità fieri, vt natura ipsa destinatum in finem operans nullos fructus monstrosos, sed ad communem ordinem accom modatos productura sit. Quibus quidẽ & Iacobus Faber Stapulensis, & Franciscus Vatablus ità respondent: naturã licet aliquot monstra nonnunquam edat, non tamen inde sequi, eam non propter suum finem agere: cùm ars etiam destinatè aliquid agens interdum erret vtpote Grammaticus non rectè scribat & Medicus non rectè potionẽ misceat. Ergo sicut in artibus finis intenditur, & quod ipsum non attingit, peccat: ità etiã naturalibus in rebus fit, vt quum finẽ ipsum in operando respiciat natura: nihilominus aliquando, ne finem propositum consequatur, impedita, monstrum aliquod producens peccare dicatur. Idem quoque de Deo quodam modo nonnulli, cogitânt. quũ animaduertũt aliquem principem inordinate res gere re, nec veram fidem, ac pietatem sequi, mon

In secundũ lib. Phys. Cap. 8.

monſtrum illum appellant: huiuſque monſtriferi partus culpam in ipſum Deum reijciunt, qui talem effectum ad ſuum finem non perduxerit. Verùm quum ſit in Deo duplex finis, occultus nimirùm & manifeſtus, atque is in finē nobis incognitum ſua dirigat frequenter opera, ſemper quidem ille perficit, quod intendit in Principe, licet nō ſemper id agnoſcant homines, neque re vlla impediri, velut artifex & Grammaticus valet. Si vero manifeſtum modo finem, quò Principes iniqui tendūt, mortales intueantur, monſtra quædam illos eſſe arbitrabuntur, cum ordinis diuini præſcriptum minimè exequantur. Quemadmodum & naturæ portenta iudicantur eſſe illa, quæ modum ipſius naturæ non ſeruantia, ſibi ipſis materię plus, aut minus quàm par eſt, aſſumūt: Phyſici autem ſic exiſtimant, quum talia producuntur monſtra, naturam eſſe impeditam, & aliquod eius principium puta ſemen, eſſe corruptum: Nam animalia non ſtatim fiunt: ſed oportet

mollem illam massam, quę è semine orta est, prius disponi. Quæ si corrupta, deficiens, aut exuberans fuerit, plerunque contingere solet monstrum. Eodem modo, si res naturam excedent eis contemplamur: quanquam Deus ipse sua & prouidentia, & prædestinatione & reprobatione incomprænhensibilius quàm natura operetur, nihilóscius tamen quum Principem aliquem videmus, quod ad spiritualia ipsius membra nempe fidem, pietatem, iustitiam, verum Dei cultum attinet, benè dispositum, ecclesiæ sanctæ protectorem, Orphanorum patrem, desolatarum viduarum defensorem, putare possumus hunc diuina voluntate in finem etiam nobis manifestum rectè formatum esse. Nam quum in huius ipsius generatione spiritali nihil ex diuinæ reprobationis sed ex electionis tantum semine concurrisse cernamus, vt omnia quandam exactam formam

referant

referant, iure ac merito licet asserere, non esse monstrum hîc in lucem prolatum. Econtrario vero quum in Principis huiuscemodi generatione monstrosa aliquot membra conspicimus, cur obsecro non asseueremus hũc ex diuinæ reprobationis materia nimium profluxisse? Quia figulus potestatem habet ex eadem massa facere aliud vas in honorem, aliud ad ignominiam, Sic in magna domo Dei vasa sunt aurea & argentea, sunt etiam lignea & testacea, & alia quidem in honorem, alia vero in contumeliam. Quid? non & populorum delictis offensus Deus portentosum illis aliquando caput aliquod proponit? vt qui sordent, adhuc sordescant magis? An non monstra fuerunt ij principes, de quibus Israëlitico populo Dominus per Esaiam loquens ait. DominusDeus exercituũ auferet Hierosolymis & ab Iuda opẽ &

2. Tim. 2.

Apoc. 22.

ſubſtentaculum: omne adminiculũ cibi & potionis, milites & bellatores, iudices, & vates diuinos, & ſenatores, ſemicenturiones, & authoritate prædi-tos, & conſiliarios, & artibus eruditos, & dicendi peritos, eíſque pueros dabo

Cap.22. Principes, & eos infantium imperio ſubijciam. Ad hæc per Ezechielem ſuo populo monſtroſam principum qualitatem his verbis indicat. Principes in hac terra verſantes ſimiles ſunt luporũ prædæ rapacium, ſanguinem fundendo, vitaſque perdendo, quęſtus faciendi gratia. Quid autẽ portentoſius eſſe põt in Principe, quàm ea perpetrare nefanda facinora, quæ ipſe per ſe caſtigare ac punire debuerat? O rem pudendã, quæ alicui populo dicatur: Principes tui deſertores, & furum ſocij: omnes donorũ

Eſa.cap.1. cupidi, atque nummarij. Pupillis ius nõ reddunt: Viduarũ cauſas nõ admittũt. Igitur quid boni ſperandum eſt ab eo principe? qui quum ipſe ſibi deberet à ſcelerib. tẽpare, publica crimina remouere, populos vndique tueri, ne iniuriis

affician

afficiantur, ne grauentur indebitis o-
neribus: ipse inquam sit veluti fons im
mundiciarum omniũ: veritatis, cultúsque diuini manifestus hostis: mendacij fautor: ac verè Christi ecclesiæ persecutor? Et sanè quum talis est Princeps, qui suis perditis moribus miserè sibi subiectos populos affligat, spretóque diuino consilio suas innocentium sanguine commaculet manus: pacificas aliorum prouincias absque causa perturbet: sanguinarijsque sese bellis nutriens hoc tantũ quærat, vt super cæteros principes extollatur, animaduerti facilè potest, an iræ an misericordiæ Dei minister sit. Etenim misericordia se semper affabilem ac dulcem: Contrà vero sese ira furibundam atque in scelus omne præcipitem demonstrat. Idcirco qui principes inseruiũt in huiusmodi officijs iræ dei malè ex se affecti vasa itidẽ sunt iræ Dei: nobísque omnino sunt monstra. Verùm mundus mirabiliũ operum Dei nõ benè gnarus in diuinis eiusmodi negocijs obstupescit

adeò,vt nonnulli ſint, qui ægreferentes hæc ipſa,in Deúmque blaſphemi nõnũ quã dicant, eundẽ nõ rectè facere Deũ, qui Principibus tam ſceleratis faueat: qui ne ſuſtinẽdi quidem ſuo ipſorũ iudicio eſſent. At non obſeruant ij, rem haud ſecus hîc habere, atque cũ Principe mundano habeat, cuius authoritas & maieſtas nõ elucet minus quum Carnifici iubet, vt furem ſuſpendat, quàm quum eundem gratuitò ab infami hoc ſupplicio per vnum aliquem è ſuis conſiliarijs liberat. Horũ vterque mandata principis exequitur:verum alter horribili ac tremendo iuſtitiæ,alter verò gratuitæ miſericordiæ iudicio inſeruit. Ità & cum Deo fieri ſuo quodã modo putandũ eſt, quum opera tã boni,quàm mali Principis vtitur. Qua in re & ſi nobis imparia videantur officia, tamen inſeruiens vterque Deo, ipſius cùm authoritatem, tum maieſtatem æquè itẽ vterque notam & conſpicuã facit. Quod è ſacrarũ etiã literarũ oraculis haud difficulter agnoſcitur. Nam

immi

immissurus in impurum suũ populum Deus Assyriorũ Regem ità loquitur: *Esa.ca.* 10.
O Assur virga furoris mei: Et virga, quę est in manu eorum, est ira mea. Quid?
Nonne itidem Nabucadnezarem con- *Iere.cap.*21.
tra Hierosolimam excitauit? impiámque regionis illius gentem captiuam per hunc in Babyloniam traduxit? An
non & Helihu Iobo affirmat efficere *Cap.*34.
Deum, vt propter offendicula populi homo impurus & hypocrita regnet?
Daniel quoque propheta post variorũ *Ca.*7. *&* 8.
enumerationẽ regnorũ asserit futurũ, vt hominũ iniquitatibus ad summũ redactis præficiendus sit Rex: Qui stabit fortis facie, & intelligẽs ænigmata. Et roborabitur fortitudo eius, sed nõ fortitudine ipsius, & mirabiliter vastabit, & prosperè illi succedet, & faciet, & vastabit robustos, & populum sanctorum: & per intellectũ suũ prosperabit dolum in manu sua & in corde suo: magnificabit sese, & in pace vastabit multos. Quinetiam contra principem principum cõsurget: & absque fortitudine

contereretur. Simillimè Ioannes in Apo-
Cap. 13. calypsi testatur, dandam huic esse regi
cũctos in populos ac nationes quæ ipsi'
charactere signatæ non sint, authorita-
tem, vt suis tormentis, quod ad vitam
corporalem attinet, sanctos etiam su-
peret, quamuis eorum denique sanguis
non aliter quàm Abelis ante conspectũ
Dei sit ascēsurus, ipsúmque adeò pro-
uocaturus ad indignationem, vt hunc
tyrannũ sit in ore gladij tandem inter-
fecturus. Præter iam dicta id erit etiam
vel maximè obseruandum, quòd cùm
Deus esset humanum genus ab æterna
morte, Diaboli que tyrãnide redemptu
rus alio sanè modo principum est vsus
authoritate. Nam per hos filium suum
occidi passus est, vt eius morte glorio-
sam ex mundo, sathana, peccatóque
victoriam referret, id quod exercituum
mundanorum Imperatoribus in bello
peremptis neutiquã accidere solet. Ve-
rùm Deus ipse, qui nihil nõ subiectum
filij sui pedibus volebat, effecit, vt is im
merita morte mortem vinceret, pecca-
catum

catum aboleret, ac Sathanæ vireis penitus confringeret. Quod Petrus Apo- *Act. 4.*
ſtolus vehementer admirans oculis in cœlum ſublatis, exclamauit vna cum ijs qui aderant, Domine tu es Deus ille, qui feciſti cœlum ac terram, mare, & omnia quæ in eis ſunt. Qui per os Dauid pueri tui dixiſti: Quare fremuerũt gentes & populi meditati ſunt inania? Aſtiterunt reges terræ, & principes coacti ſunt eodem loci aduerſus Dominum, & aduerſus Chriſtum eius. Coacti ſunt enim verè aduerſus ſanctum filium tuum Ieſum, quem vnxeras, Herodes, & Pontius Pilatus cum gentibus & populis Iſrael, vt facerent quæcunq; manus tua & cõſilium tuum prius definierat facienda. Iam hinc animaduertere eſt, quanto nos amore proſequatur Deus, qui ſua planè admirabili prouidentia nos ab æterna dãnatione per ditorum etiam Principum ac populorum vſus opera, liberarit. Per bonos itaq; Principes quę luce & palàm bona ſunt opera, per malos autem quæ mala

ſunt opera, per malos autem quæ ma-
la malis videantur vt plurimũ exequi-
tur Deus, vt regum volumina præcipuè
nobis oſtendunt. Quod & Dauidis, qui
vir ſecundum cor Dei erat, & Ioſiæ, &
Ieroboami, compluriúmque aliorum
tam proborum quàm improborũ prin
cipum exemplo manifeſtiſsimè patet.
Quorũ quidem vt improbi falſos Dei
cultus erexerunt, ità probi ſunt eoſdẽ
demoliti. Omnipotens ergo Deus quẽ-
admodum ipſe eſt optimus, ſic nihil nõ
optimum laudéque dignißimum facit,
& ſi nonnunquam humanus ſenſus a-
lioqui deprauatus aliter iudicet. Qua
de cauſa quoties euenit, vt aliqua pro-
uincia vel iniquis principibus, vel eo-
rum præfectis grauari ſe ſentiat, illico
ſuam cauſam Deo precibus haud in-
termiſsis committere debet. Qui ſanè
Deus forſitan ita diſpoſuit, vt per popu
lorum huiuſcemodi preces, quas ipſe
ſit exauditurus, talia velit amouere gra
uamina. Neque propterea ſua decreta
mutat Deus: velut etiam in Niniuita-
rum

rum, Ezechiæque Regis causa non mu- *Ion.i.* 2. 3. 2.
tauit, quum & Ezechiæ, cui mortẽ fue- 4. *Reg.* 20.
rat interminatus, vitæ quindecim annos addiderit, & Niniuitis, illorum perspecta resipiscentia, pepercerit: vrbémque ab imminenti strage vindicauerit. Nunquam igitur homini Christiano de monstrosis principibus conquerendum est: quum ignoret in quem finem à Deo sint instituti: quemadmodũ etiã de bonis minimè superbiendum, vt qui posſint à Deo facillimè in deteriores conuerti: Quæ mutationes licet non parum nobis afferant admirationis, iustissimæ tamen ac sanctisſimæ sunt.

DE DIVERSORVM MAGIstratuum generibus.

CAP. V.



IS ITA diſpoſitis nunc ſupereſt,vt aliquid hîcde magiſtratuum generibus loquamur, quæ,qualiacũque ſint, à Deo ordinata ſunt omnia. Scriptores igitur tã veteres quàm neotericos magiſtratuum in treis primarias parteis diuiſiſſe conſtat,quarum primam Monarchiam,alteram Ariſtocratiam,tertiam Democratiam appellauerunt. Et monarchia quidem ſuo quodam peculiari nomine vocari poteſt regnum aliquod cui gubernando non niſi caput vnum eſt præpoſitũ: quod ſanè bonis, æquis, & ſanctis legibus vnicuique ſuum ius adminiſtret. Nam ſi aliter fieret,tyrannis potiúſquã regnũ eſſet. Ariſtocratia verò ille eſt principatus cui certus quidam

dam prudentium, honestorum optimatiúmque hominum numerus præest: quæ tum primum introducta est, quũ qui iusta capita esse debuerant, exercere tyrannidem cœperunt. Atque hæc ipsa si regimen iniquum admiserit, obscurum oligarchiæ nomen assumet. Democratia porrò est ea, quę non ex Nobilium modo, sed ex totius populi arbitrio ius dicit, reliquaque reipublicæ negotia omnia suo iure disponit: vt in Rethorum trium fœderum communi gubernatione videre est. Sed enim id non est silentio prætereundum, quamplurimos diuersis temporibus extitisse, qui variis de causis Democratiam isthanc ipsam seditiosis tumultibus perturbauere. Nonnulli ambitiosa dominandi libidine exagitati fraudulentis pollicitationibus populi beneuolentiam sibi pararunt, vt supremum facilius gradum soli consequerentur. Alij fuere, qui cum suis in rempublicam meritis parem non referri gratiam arbitrarentur, indignatione succensi viam ex-

cogitarunt, qua non solum de ingrati- tudine vindictam sumerent, verum etiam vel per proditionem ad fastigium summæ dignititatis peruenirent, Non nemo extitit, qui partarum absque labore diuitiarum percupidus, vt inde sibi delicatius viuendi facultas esset, quũ honestis in sua republica fungeretur muneribus, per occasionem tractandarum magni momenti rerum cum aliis Principibus, hominum simplicium animos disposuerit, ad id quod intendebat efficiendum, vt ab eisdem Principibus non paruam pecuniarum vim extorqueret: nihil pensi habens rempublicã iniquis etiam grauari conditionibus, modo dolosi spes refulgeret nummi. Vnde frequenter euenit, vt ipsius Democratiæ paulatim tolleretur ordo, populusque sæpenumero in vnius tantum seruitutem redigeretur.

MAGISTRATV FVN *genteis honorandos esse.*

CAPVT VI.


Vum Dei, tum naturæ ordine fit, vt res imperfectiores perfectioribus inseruiant: eodem modo & Principes, & reliqui magistratus ordinantur, vt inseruiant Deo. quandoquidem illius ministri sunt, eiusque viceis in officio huiusmodi administrando gerunt. Quapropter Homerus etiam & Hesiodus voluerunt, optimum magistratū singulare quoddam esse donum regendis populis diuinitus concessum. Idcirco par est vt illū mortales timeant, illi obtemperēt, illūq; debitis honoribus prosequantur. quemadmodū & Erasmus inquit: Olim qui bene gessissent imperiū, iis diuini decernebantur honores. Verū etiamsi

prauus Magiſtratus ipſe ſit, venerandus tamen ab hominibus eſt, quibus cum Dauide conſiderandum eſt, illum in eam altitudinem per ſe non conſcendiſſe: neque propria virtute ſibi ſubiectos populos continere. Quum Saulus rex Dauidem ſibi generum ad internecionem perſequeretur (vt in Regum libris legere eſt) accidit, vt ventris exonerandi cauſa quandam in ſpeluncam (in qua Dauid ipſe profugus latitabat) ſeſe contulerit. Ibi comites Dauidem hortabantur, vt per hanc occaſionem iniquum perſecutorem interficeret. At ille: abſit, inquit, vt in Regem Dei miniſtrum manus inijciam. Sed quum egreſſus è ſpecu Rex eſſet, pone illum Dauid exclamans oſtendit oram, quã ex eius veſte abſciderat in ſpelunca, ſubintulítque, vel ex hoc eum poſſe coniecturam facere, ſibi facultatem eius occidendi fuiſſe: verum à Rege ſe manum abſtinuiſſe, id quod illi argumento eſſe valeat, ſe ab ſuis obtrectatoribus apud eum falſo criminari: & id genus alia,

Cap. 24.

quę

quæ ibi adſcripta ſunt. Aliâs quoque quum ſopitum in tentorio Saulem dormientibus cunctis cuſtodibus Dauid offendiſſet, haſta humi ad caput eius defixa: Abiſeus Dauidis comes Regem interfecturus erat, niſi id ipſe Dauid prohibuiſſet, inquiens: Amoueat à me Dominus, vt Regem ab ipſo vnctum ego perimam. Quibus ex verbis planè conſpicuum fit, quanta reuerentia Dauid inſtitutum à Deo regium munus obſeruarit. Nam ſibi perſuaſerat (id quod res erat,) inſectationem nimirũ quàm à Saulo perpetiebatur, non niſi volente Deo ſibi contingere: Voluntati verò diuinæ non obſequi vſque adeo iniquum arbitrabatur, vt Saulum iniuſtè perſequentem ſuſtinere, quàm poteſtati diuinitus ordinatè reſiſtere mallet: Iam & Perſæ ſuos Principes veluti numina quædam venerabantur: Sic inquam vt ne oratores quidem ab alijs Principibus miſſos Regem ſuum adire atque alloqui, niſi prius illum adoraſſent proni, permitterent. Nullus audebat aut 4. Reg. 26.

ſpuere, aut naſum emungere coram Rege. Quin & illis aras à morte, ſacraque inſtituebant, ac Deorum ſocios appellare conſueuerant. Athenienſes itẽ ſuos Reges Deorum filios vocitabant. Summa igitur Principes veneratione dignos etiam mali ſi ſint, exiſtimabimus, quo Dei iuſtiſsimam tametſi nobis occultam inſtitutionem in ſui gloriam, ác beneficentiã hominum diſpoſitam, vt æquum eſt comprobemus, atque id quidem efficiemus. Conſcientia magis quàm timore ducti: perditáque illorum vitam Deo puniendam aut immutandam relinquemus: Nam ſolus is poterit pro lapideo carneum cor ipſis tribuere, quod ſupernæ diſciplinæ ſit capax: aut eoſdem à regni gubernaculis amouere, prout illi regnis ipſis expedire viſum fuerit. Quemadmodum ergo Principibus enitendum eſt, vt populos benignitate complectantur; ſic & populis viciſsim ſtudendum eſt, vt ſuos Principes colant, vtrique vtriſque tanquam animæ corporibus agglutinati. Eſt mutuum

Alluſio ad cor Pharaonis induratũ

tuum (inquit Eraſmus) inter Principem ac populum commercium: Populus cenſum Principi debet, debet obſequium, debet honorē: & viciſsim Princeps debet populo præbere ſe bonum ac vigilantem. Ad hæc debetur honos, qui Tyranno, ne honos quidem eſt, ſed aut adulatio, aut ſimulatio: nec obſequium, ſed ſeruitus: nec ſplendor eſt verus, quem oſtentat: ſed faſtus: nec potentia, ſed vis. Nemini plus defertur honoris, quàm qui non exigit honorem: Nulli libentius obſequuntur homines, quã qui non requirit obſequium: In neminē libentius effundunt ſuas opes, quàm in eum, cui commiſſas ſciunt ad publicam vtilitatem cum fœnore reddituras. Et ſanè populus à Principe non minimum vtilitatis expectat, quippe qui ſibi perſuaſerit, hunc ingenio, prudētia generoſitate ac iuſtitia ſic cæteris hominibus præſtare, vt non immerito Plutarchus dixerit: Audiuimus Homerum Minoa Dei Oariſten appellantē, hoc eſt

interprete Platone familiarem, ac disci pulum. Neque enim censebat priuatos homines, aut ædium custodes, aut otiosos esse Deorum discipulos, sed Reges. Quibus si cōtigerit rectum consilium, iustitia, probitas, fortitudo, continuò futurum est, vt omnes adiuuentur: fructúmque capiant, qui cum eis habent commercium. Hæc Plutarchus Erasmo interprete.

In Commentario. Cum Principib. Philosophũ disputare debere.

PRINCIPEM IN SVO *regno tanquam animam, aut oculum in corpore se habere.*

CAPVT VII.

QVi cùm veteres, tum recentes Philosophi Principis obseruarunt in suo regimine dignissimam conditionem, hunc animæ rationali, quæ partem sensibilem regit, assimilan

aſsimilantes dixere: Non aliud eſſe imperium Principis in populum, quàm quale eſt animi in corpus. Dominatur animus corpori, quod magis ſapiat, quã corpus. Sed dominatur magno corporis commodo potius, & animum regnare in corpore, fœlicitas eſt corporis. Quod cor eſt in corpore animantis, id eſt Princeps in republica. Si cor ſyncerum eſt, quoniam ſanguinis ſpirituum fons eſt, vitam impartit vniuerſo corpori: Sin vitiatum fuerit, exitium adfert membris omnibus. Aequiparatur itidem Princeps oculo, qui reliquis artubus lucem adminiſtrat. Verùm vt oculus licet integer, ſine ſolis aut alterius luminis adminiculo in corporis beneficium videre non poteſt, ita & Principi non ſat eſt, intellectus naturalis tãtum luce populos regere, niſi ſocium habeat ſupernæ ſapientiæ lumen. Oportet prudentem & iuſtum Principẽ ſcire, quæ erga Deum & homines agere atque dicere debeat: & ſapientia duce negotia rectè atque bene procedere:

Antonius Mucindus.

vt sol oculorum, sic sapientia est lumen cordis humani. Hac de causa Iesus Christus quum ostensurus esset hominis ingenium & intellectum etiam perspicacissimum in tenebris per se versari, dixit: lucerna corporis tui est oculus. Quod suo modo de Principe nō minus dici potest: vt annotauit Erasmus quoq; sic inquiens, Porrò quod est lucerna in domo, quod est oculus in corpore, id est animus in homine. Si lux Principū non est viciata caligine falsarū opinionū, malarúmque cupiditatum: Si mentis oculus non aliò dirigit aciem quàm ad verum scopum, quicquid agitur in republica gratum Deo est, nihilque nō conducit ad cumulum honoris, ac felicitatis: Quemadmodum si domus habeat insignem lucernam, nusquam impingitur. Si oculus mentis Principum purus est & integer, lucet mēbris omnibus, id est suis famulis & subiectis, nec vlla pars regni impingit aut errat. Contra si oculus mētis ipsius viciatus fuerit nullū ministeriū regni ipsius rectè suo fun-

In annot. No. T. & st. su per Matt. Ca. 7.

fungitur officio. Quid enim prodest (inquit Chrisostomus) auratis militibus refulgere; quum ducitur Rex captiuus ignorantiæ? Quod lucrum est ornatæ depictæque nauis, quum ipsius mergitur gubernator? Quænam est illa benè compositi corporis pulchritudo, quum facies oculos amisit? Si enim nequaquam prorsus eligeres ornari auro, & serica veste circundari, oculísque fœdari, sed horum procul dubio sanitatem desiderabiliorem rebus omnibus iudicares, quæ si tibi depereat, nihil te iam tota vita delectet, quātò hoc magis pro oculis debes mentis efficere? Sicut enim postquam corporalium oculorum lumen extinctum est, omnia iam membra in miseria versantur ac tenebris: ita etiam mente principum cæcata, innumeris prorsus malis hominū vita cumulatur. Quemadmodū igitur in corpore hoc maximè prouidemus, vt oculos habeamus incolumeis: sic etiam in anima intellectum conseruamus, salutiferámque sapiētiā. Si verò cæcam⁹ Hom. 21. super Matth. Cap. 7.

ipſum,quo alijs quoque debemus lumē inferre,vnde iam ipſi poterimus aſpice re? Quando enim lucerna extinguitur quando gubernator mergitur, quando dux ipſe capitur, quæ tandē obedienti-

Eraſ. in præfatione epiſto. ad Cor.

bus ſupererit ſpes ſalutis? Quod ſi ſal inſulſus eſſe cœperit,quid ſupereſt vnde ſaliatur inſipid⁹ popellus?Si lumē verti tur in tenebras,quid diſcutiet imperitę multitudinis caliginē?Si paſtores vertū tur in lupos,quæ ſpes gregi?Si cæci ſunt qui vitæ duces ſunt, quis reuocabit ab errore?Si caupones ſunt, qui principes ac patres eſſe debeāt, quis erit vſquam ſynceritati locus?Ergo popul⁹ ille magno in periculo verſatur,qui à principe

Luc.6.

veræ ſapientiæ lumine carente regitur.

Sap.6. & 7.

Chriſtus ait: nunquid poteſt cæcus cæcū ducere? Nōne ambo in foueā cadēt? Rex inſipiens perdet populum ſuum. Qualis eſt rector ciuitatis,tales & inhabitātes in ea: & ſecundū iudicem populi,ſic & miniſtri eius erunt.Idē in parētū filios inſtituentiū exemplo dici poteſt. Si veritatis,honeſtatis,iuſtitiæ, atque

que adeò virtutis omnis amator est pater, hæc pariter omnia suos filios docet, atque illos inde quàm optimè educat. Quãobrem Solomon & Plato, & Aristoteles nõ nisi prudentẽ ac sapientem principem regendis populis præficiendũ esse censuerunt. Solomon ait: Audiendo sapiens fit sapientior: Et intelligens gubernacula possidebit. Vt seruãdis vrbibus non adhibẽtur cæci, sed syn ceri custodes: ità & principes quò prudentiores erunt, eò populis gubernandis aptiores existent. Hinc Plato tum demum beatum orbem terrarum futurum asseruit, quum aut sapientes regnare, aut Reges sapere cœpissent. Nã & Salomon inquit: Rex sapiens stabilimentum populi est: & multitudo sapiẽtum sanitas orbis terrarum. Vegetius quoque de re militari sic ait: Nullus est cui sapiẽtia magis congruat, quàm prin cipi, cuius doctrina omnibus debet prodesse subiectis. M. verò Tullius iuxta id Non enim est cõsiliũ in vulgo, nõ ratio, non discrimẽ, nõ diligentia. Sed & Hie-

Prouer. 1.

Val. maxi. lib. 7. de dictis Sapien tum.

Ecclesiast. 10. & 32. & 34.

ronym' ità profatur;Nihil impudétius arrogantia rusticorum,qui garrulitaté authoritatem putant: & parati semper ad liteis,in subiectum sibi gregem tumi dis sermonibus tonāt. Et Claudianus.

Asperius nihil est humili, quum surgit in altum.

Nam quid Aristoteles? qui rogatus quo differrēt docti ab indoctis,respōdit quo,viuentes à mortuis. Optimū ergo fuerit,sapiētiæ studio delectari, qđ & il lustreis& gratiososhomines facit,& ad ciuiliū magistratuū cōmodi' cautiúsq; pertractanda negocia cordatos reddit. Eandē quoque sententiam Strabo cōprobat his ferme verbis: Omnes idiotæ & doctrinarum expertes quodámodo pueri appellādi sunt, ergo sapientes capessent principatū. Animaduertant igi tur Reges & Principes quod philoso phus is est,non qui dialecticen, aut phy sicen calleat, sed qui contemptis falsis rerum simulacris infracto pectore vera bona & perspicit & sequitur. Principis dignitatem,amplitudinem,maiesta

tem

ſcem non fortunæ ſtrepitu (vt ſcribit Eraſmus) ſed ſapiẽtia, integritate, rectè factis parandam & tuendam eſſe. Si ergo ſolijs & regnis (ô Reges populorũ) delectamini, ſapientiam in precio habete, vt in perpetuum regnetis. Audite Iſocratem ita clamantem: Quicquid eorum, quæ Regem ſcire conuenit, voles cognoſcere, id partim vſu, partim philoſophia conſequere. Nam philoſophiæ ſtudium viam ac rationem oſtendet tibi, negociorum autem exercitatio præſtabit, vt in obeundis rebus poſſis verſari. Principes itaque lumen huiuſcemodi ſapientiæ diligenter inquirant atque habere ſtudeant, ne pariter ſéque ſuóſque populos in pernicioſum aliquem errorem inducant, ſi (quod plęriſque, prò dolor, accidit) hoc ipſo deſtituantur.

Sap.6.

Ad Nicoclen de Regno.

DE IMPEDIMENTIS *quæ naturalem cupiditatem remorantur, ne statim sapiens fiat.*

CAP. VIII.



VM dignitatis officio reliquos mortaleis excellat Princeps, ab se debet impedimenta pro viribus amouere, quæ sibi obstaculo sunt, quò minus rerum veritatem ac scientiã, ad quem vnumquenque fert natura, statim consequi valeat. Omnis etenim homo (vt metaphysicus habet(ad hoc nascitur, vt sapiens fiat, suúmque contempletur, immò omnium, Creatorem: & vnũquodque ad optimam operationem suapte natura inclinatur: vt fertilis arbor ad optimum quem efficere possit, fructum: & suauis redolénsque plantula, ad suauissimum ac redolentissimum flosculum: nititur enim vnũquodque vt ipsi

summo

ſummo pulchro,bonoque optimo,quo ad fieri poteſt,euadat ſimile. Idem Principibus efficiendũ eſt. Iodocus Clitheoueus Neoportuenſis in.x. Lib. Ethices Ariſtotelis ait:omne bonum ſuapte natura expetibile eſt ei,cuius eſt bonum. vt bonum ignis ipſi igni expetibile eſt; & bonum aquæ, ipſi aquę. Imo videmus omnia naturali inclinatione,quod ſibi bonum eſt,expetere,& ad illud naturaliter ordinari:Et quanto magis eſt bonum,tanto magis expetitur: Quare quod ſummè bonum eſt, ſummè eſſe expetibile oſtendunt omnia,quæ natura duce deſiderio rapiuntur. Homines igitur natura & ſcire,& intelligere inclinantur,quamobrem & ea natura deſiderant. Nihil enim aliud eſt natura deſiderare,quàm ad aliqua natura inclinari:Et natura ad optimum ſemper intendit, modo à ſuis operationibus non impediatur. Eodem modo Princeps quoque ſi naturæ vera rectaque cupidine ducitur, ſapientiam atque ſcientiam ſibi optat:quo rerum omniũ

veritatem apertius cognoſcere valeat. Et niſi ad praua cupienda declinet, intelligere vera ſemper quærit. Id primi parentis Adami poſſumus exemplo percipere: qui noſcendi quod non licebat, illectus deſiderio, ſeipſum ac poſteritatem omnẽ in præceps adeò traxit, at natura facta ſit prona ſemper ad malum, niſi ſpiritus diuinus humanam infirmitatẽ adiuuet: vt in Principis oculique ſimilitudine ſuprà diffuſiſsimè dictum eſt. Socrates Platóque ſenſerunt, virtutes nobis congenitas eſſe & innatas: verum ex immerſione animæ in corpus offuſcatas & adumbratas eſſe: aſſiduaque operandi conſuetudine eas detergi, & natiuum decorem recuperare: naturales itidem potentiæ ad ſcientiam, artem, aut prudentiam ſunt bona innata, quia homini à principio natiuitatis inſunt, (vt inquit Iodocus) & animo connaſcuntur, vt naturalia quædam præſidia, & adiuncta ab optimo rerum parente nobis ſunt, vt commodius animi virtutem perficiamus. Et

Gen. 6. 8.
Rom. 2.

hanc

hanc naturalem indolem, plerique naturæ igniculos vocant: quos si (inquiũt) sinimus adolescere, perfecti euadimus. Adolescere autem hæc virtutum seminaria in nobis iacta sinimus, quum ea per operationes, ad quas inclinant, perficimus, & conformi habitu stabilimus. Quemadmodum igitur intellectus agens & scientiam & veritatem rei cognoscere appetit, sic & Princeps quum pullulantes ab animo virtutes adhibita diligentia atque industria iuuare studet, optimum desiderium exprimit, vnde etiam maximam laudem promeretur. Quod si difficilem conatum hîc experitur, & ab incepto tamen non desistit, multò maiori laude dignus est, vt qui multò maiorem etiam ad male affectam naturam superandam adhibuerit, laborem: Sicut è conuerso dandum est illi vitio, si pro sua virili non tentarit, animi morbos euincere. Caueat itaque Princeps vnà cum suis liberis ab omnibus, quę aduersãtur virtuti, reb᷒: quia quicquid habet

contrarium à suo contrario corrumpitur, id est corrumpi natum est: vt caliditas à frigiditate sibi contraria corrumpitur: Sic & virtus habet vitium sibi cõtrarium. A vitio, ad quod quisque maxime pronus est, fugere procul oportebit, scilicet insita ad malum procliuitate, & vitio illi respondente. Proinde summa diligentia enitendum est, vt ab huiusmodi vitio recedatur: Sed ab eo, quod deterius est, magis est recedendum: Quemadmodum si duo immineant pericula, vnum graue, alterum minus graue, à grauiore periculo magis est cauendũ. Quocirca Princeps diligenter curet veniẽti occurrere morbo, germinansque vitium non sinat excrescere, ne quum radices egerit, difficillimè possit euelli: quod & Aristoteles ad-
2. Ethi. monuit in Ethicis dicens: Nascens malum facilè opprimitur: inueteratum autem plerunque fit immedicabile: Et tenera lentáque virga leuiter in rectitudinem inflectitur: quę vbi solidum robur assequuta in arborem excreuerit,

nimio rigore trunci inflexionem non admittit: & potius frangitur, quàm aliter, atque creuerit, dirigatùr. Ita catuli quum tenera sunt ætate, facile loris assuescunt: & quum primum exoritur incendium, facile extinguitur: quum vero summa tecti fastigia corripuerit, totam domum absumit. Et grauis morbus, vt cancer, vbi primum nascitur, leuiter tollitur: at quum late serpendo uiscereis cœperit, tũc plerunque immedicabile vulnus Ense recidendum est, ne pars syncera trahatur. Quod alibi quoque admonet Ouidius, hec carmine.

Vidi ego quod fuerat primo sanabile vulnus,
Dilatũ longæ damna tulisse moræ:
Nam mora dat vireis: teneras mora percoquit herbas:
Et validas segetes quæ fuit herba facit.
Quæ præbet latas arbor spaciantibus vmbras:
Quò posita est primum tempore virga fuit.

Tunc poterat manibus summa tellure reuelli:
Nunc stat immensum viribus aucta suis.
Flumina sæpe vides paruis de fontibus orta:
Plurima collectis multiplicantur aquis.
Opprime dum noua sunt subiti mala semina morbi:
Et tua læsuro subtrahe colla iugo.
Principijs obsta: serò medicina paratur:
Quum mala per longas inualuere moras.
Sed propera: nec te venturas differ in horas:
Qui non est hodie, cras minus aptus erit.

Si consenuerit ergo Princeps in vitijs, opinionibusque non veris, impedimento sibi ipsi fuerit, ne sapientiam, reliquasque virtutes assequantur. Iacobus Stapulensis in Aristotelis Metaphysicorũ Librum secundum scribens ait, Theoreti-

Theoreticum affirmare quinque res esse,quæ à veritatis perceptione disturbant,& præpediunt:nempe Cósuetudinem audiendi falsa: Eruditionem non rectam:Rectè docenti assentiri nolle,nisi quod dixerit,vt mathematicus,monstret:Nulli fidem prçstare,nisi sensibile sit,sensibilíve constet argumento:Nulla recipere,nisi alicuius vrgente authoritate, nec posse nisi parua degustare. Quod[l] ad primū attinet,id fit,tū quod quæ audire consueuimus, hæc eadem dici dignamur,atque admittimus tum quod consueta nobis notiora sunt ,: in consueta verò contra, ignotiora.Qui itaque consuetudinem traxerunt audiendi falsa, falsa dici dignabuntur,falsis assentientur, quæ & pro notioribus receptabunt, veritas autem tanquam ignotior illos effugiet. Distorquet igitur & disturbat , impedimentóque percipiendę veritati huiusmodi educatio est. Et leges ipsæ consuetudinem plurimi momenti & efficaciæ ad hoc esse osten-

dunt: quæ fabulas, puerileisque ineptias ob consuetudinem recipiunt: & ipsas veritati anteponunt. Idcirco in Principe: dominatuumque Gubernatore duo potissimum consideranda sunt: alterũ vt is naturæ sit ad virtutem dispositæ, vitijsque contrariæ: & inde vsque à teneris (quod aiunt) vnguiculis optimarum scientiarum eruditione institutus honestissimos viros in consuetudinem ac societatem adhibeat: à quibus etiam si esset ingenio improbo & iniquo, discat quæ iusta, rectaque sunt, comprobare & consequi. Nam si fuerit inter venationum & aucupiorum Magistros, inter aleatores, & saltatores, & scurras, & lasciuos homines enutritus, vix vnquàm poterit ad bonam frugem peruenire, aut saltem difficillimè id fiet. Quare non bene agitur cum iis Principibus qui quum norint suos post se liberos imperiorum & magistratuum administrationibus præficiendos, à sordidorum huiusmodi hominum fece illos non amouent. Alterum verò quod

in

in principe requiritur, est hoc, ne contra bene instituenteis, benéque monēteis omnino sit peruicax. Id enim foret salutifera medicamina nō admittere, quod in causa esset, vt neque malas vnquã abijceret, neq; bonas vnquã imbiberet opiniones: velut ab Aristone dici probat Seneca inquiens: Insano frustrà pręcipi quomodoloqui debeat, quomodo procedere, quomodo se gerere in publico, quomodo in priuato, nisi prius atrã bilem expulerit. Itidē Princeps incassum admonetur ac docetur, quo pacto populos optimè posit ac debeat regere, nisi prius nequissimas vulgi opiniones ab animo protruserit. Forma nanque non nisi in benè dispositam materiã introducitur. Ergo iure ac meritò (vt supra dictum est secundò): Rectè docenti assentire nolle, nos à veritatis perceptione retrahere. Nam singula, vt materia requirit, recipienda sunt, neque omnium mathematica certitudo expetenda est. Qui autē rectè docenti assentiri renuit, non singula reci-

pit, vt vniuscuiusque natura postulat, ac requirit. Disturbatur igitur talis à veritatis perceptione. Eorũ,quæ demõstrationẽ patiũtur,& sustinent,demonstratio expetẽda est: & demonstrãti credere oportet. Et quæ analogiæ similitudinem desiderãt,ea, vt decet, adducta, cõtenti abire debemus: Quæ persuasionẽ qualẽcunque aliã: ea siquidẽ sufficiẽte adducta,nos faciles præstem⁹ oportet:sic enim omnis veritatis facilè compotes euademus:& vnũquodque pro dignitate recipiem⁹. His tñ tribus pro dignitate ritè vti quàm difficillimũ puto, viríque esse in omnis disciplinæ professione cõsumati. Tertiò nulli fidẽ præstare,nisi sensibile sit,vt po te miracula & delectabilia carni,sen sibiliue cõstet argumẽto, percipiendæ veritatis obluctamentú præstat. Nã nulli fidẽ præstare velle,nisi sensu,sensualîue exemplo vincamur,parui impotentisque ingenij argumentum est. At ingenij paruitas & impotentia nobis nimirum percipiendæ veritatis obex est. Nulli igitur fidem

præſtare, niſi ſenſibile ſit, ſenſibiliue conſtet argumento, veritati percipiendæ obluctatur, obſtátque. Quartò, nulla recipere velle, niſi alicuius confirmet authoritas, veritatis perceptionem item impedit. Nam nihil recipere velle, niſi alicuius authoritate firmatum fuerit, quædam iudicandi impotentia eſt: Iudicandi autem impotentia percipiendæ veritatis impedimentum eſt: vt viſus circa ſenſibile iudicandi impotentia, bonam profectò ſenſibilis impedit perceptionem. Chriſtus optimam perceptionem habuit, ideò clarè, lucidéque veritatem intellexit: quapropter dixit Iudęis, qui nolebãt credere veritati, niſi pri⁹ cõfirmata fuiſſet ab authoritate Ioãnis. Vos miſiſtis ad Ioannem, vt teſtimonium perhiberet veritati. Ego ab homine teſtimonium non accipio: tanquã diceret: veritas, quã ego noui, nõ ab alterius veritatis iudicio pendet, meáque cognitio atque intellıgẽtia nõ hanc recipit à Ioanne. Eandem ferè ſententiam Paulus

Io. 5.

Cap. 1.

Apostolus expressit Galatis dicẽs, Notum vobis facio Euangeliũ, quod Euãgelizatũ est à me, quia non est secundũ hominem, neque enim ego ab homine accepi illud, neque didici, sed per reuelationem Iesu Christi. Quum ait: Non ab homine didici, id indicat: perceptionem veritatis non accepi ab alicuius authoritate & magisterio, neque à me ipso didici, neque meo studio inueni, nec quæsiui. A Deo sola reuelatione Christi ipsum accepi, & ipso docẽte didici: Hæc Hieronimus. Augustinus etiã dicit: Euangelium quod secundum hominem est, mendacium est, omnis homo mendax: quia quicquid veritatis inuenitur in homine, non est ab homine, sed à Deo per hominem. Ita & Principes & cæteri homines, qui veritatem sola aliorum hominum authoritate quæ runt intelligere, parum admodum veritatis intelligunt: nõ veritatis quidem sed suo ipsorum vitio: quippe qui non diuini sed humani spiritus energia sanã rerum nancisci expetunt intelligentiã.

Quin-

Quintò, Qui sola parua degustare suf ficiunt, naturæ defectum & intellectus paucitatem patiuntur, (vt authoris supra dicti verbis vtar). Qui autem hæc patiuntur, à veritatis perceptione præpediuntur: perinde atque qui pupillæ læsionem visúsque paucitatem patitur, quæ à visibili perceptione præpeditur. Quinque sunt, quibus pulchrè apparamur, atque benè afficimur, vt perceptionem veritatis contra adducta impedimenta, & opposita habere valeamus: vt consuetudine vera audiẽdi, & perceptione recta: Recta docendi ascensione, & obedientia vniuscuiusq;, vt materia ipsa requirit & postulat, receptione, alta mente, & potente iudicio, sana, integra, illabefactáque mentis natura: Sic enim contraria contrarijs medicamur: & aduersus contrària, contrarijs reluctamur. Et cui Deus hæc quinque prioribus obicibus aduersa beneficia contulerit, percipiendæ veritatis & sapientiæ præ àlijs potens efficietur: Huic negocio Deus ipse (quæ eius bonitas est

& cle

mentia) faueat, quò Principes populíque magis ac magis in dies proficiant, vt non tantùm ab erroribus reuocentur: Sed per cœlestem gratiam cognita veritate, sapienter administrentur omnia.

INVITARI PRINCIPEM *vt ab ineunte ætate sapientiam adipiscatur.*

CAP. IX.



TEX humili in sublimem gradum Deus mortaleis extollit, populósque illis regendos cōmittit: sic eos inuitat, ad quærendos veræ sapientiæ viuos fonteis, quò simul se, simúlque sibi subiectas gēteis rectè pascere & gubernare valeat. Quocirca Deus ipse per Dauidem prophetam inquit, Nunc ergo sapite

Psal. 2.

pite ò Reges: Erudimini ô iudices terræ: Et per Solomonẽ: Diligite sapientiã rectores terræ, & benè sentite de Domino, & ipsum syncero corde quęrite. Audite Reges, & attendite, & discite rectores terræ. Seneca quoque ad Balbum scribens ait: Scio neminem beatè viuere sine studio sapientiæ. Non sit, quod nos a philosophia remoueat, nec paupertas, nec alicuius rei indigentia. Ad philosophiam totam mentem conuerte, huic insiste, hanc cole: & tunc ingens interuallum est inter te & cæteros homines: omneis enim mortaleis antecedes: & Dij multum antecedent te. Philosophiæ seruias: quia ipsi seruire libertas est. Itidem Cicero Ciceronem filiũ ad philosophiæ studium, qui amor est sapientiæ, inuitabat his verbis: Omnes trahimur & ducimur ad cognitionis & sciẽtiæ cupiditatem, qua excellere pulchrum putamus, labi autẽ & errare, nescire & decipi malũ & turpe ducimus. Idem admonebat iudices, ne incognita pro cognitis in causis haberent. Quam Sap. 1.

non minus populi quàm principes huic ſapientiæ operam nauare debent: quò quemadmodum ſapiens filius eſt gloria patris, ità & ciues principis habeantur.

Apuleius. Apuleius item aiebat, eſſe tantã ſapientis dignitatem, vt cum ſummo Deo ſocietatem coæquet. Iã verò an non ſplendidius multò ueris ſciẽtijs, linguarúmque varietate, quàm auro, gemmíſque exornantur homines? Quemadmodũ tibi contigiſſe decorari Cambræ optime nemo non videt. Nam olim ab Andrea Alciato excellentiſsimo viro ità fuiſti liberalibus diſciplinis atque ingenuis artibus inſtitutus: vt in Palladia quidem palæſtra non immeritò primarios inter pugiles cenſearis. Atque hi ſanè ſunt eius generis theſauri: vt illis priuari non valeant poſſeſſores: quod etiã ad Alexãdrum Regem ſcripſit Ariſto-

Ariſtot. ad Alexandrum. teles: Melius eſt, inquiens, animam habere abundantem ſcientijs, quàm habitum corporis benè indutum. De Biãte quoque Valerius maximus refert: quod interrogatus quid ità nihil ex bo

Lib. 7. de dictis ſapientum.

nis suis secum ferret, quum patriam eius Prienem hostes inuasissent: Ego vero, inquit, bona mea mecum porto: pectore enim illa gestabat, non humeris, non oculis visenda, sed ęstimanda animo: quæ domicilio mentis inclusa, nec mortalium, nec Deorum manibus labefactari queunt: & vt manentibus pręsto sunt: ità fugienteis non deserunt. Ergo sibi princeps pulchrum ducat in in hoc etiam & Iulij & Augusti Cæsarum vestigia sequi: Quorum alter (vt Ludouicus Odaxius hab) etcum exercitu proficiscens plurimum lectitare, & si quo temporis momento in castris morabatur, libros accuratissimè scribere solebat. Alter in Mutinensi bello rem tantam adortus, semper aut legere, aut scribere, quotidie etiam declamare consueuerat. Eadem fermè factitasse Philippum Macedoniæ Regē, testis est A. Gellius. Id quod ingenij exercendi gratia illos fecisse satis constat, licet ad eiusmodi exercitationē alius alio promptior sit. Et vt Aristoteles ait: Quidam

Ludouicus Odaxius

ſunt diſpoſiti ad virtutes ex natura: quidam ex conſuetudine: quidam per doctrinam, & ad hoc quod doctrina habeat efficaciam in auditoribus, oportet animam auditoris eſſe diſpoſitam & præparatam, ſicut terra antequam nutriat ſemen. Diſponat igitur animum Princeps ad ſcientias, plureiſque linguas addiſcendas, ac ſibi. P. Craſſum ob oculos ponat: quo de Valerius Maximus ità commemorat. P. Craſſus quũ in Aſiam ad Ariſtonicum Regem debellandum conſul ueniſſet, tanta cura græcę linguæ notitiam animo comprehendit, vt eam in quinque diuiſam genera per omneis parteis, ac numeros penitus cognoſceret. Quæ res maximũ ei ſociorum amorem conciliauit, qua quis eorũ lingua apud tribunal eius poſtulauerunt, eadẽ decreta reddenti. Leguntur etiam apud eundem Valerium
Lib.8.ca.8 Maximũ de Cyro, ac Mithridate hæc verba. Vtriuſque induſtrię laudẽ duo Reges partiti ſunt: Cyrus omniũ militũ ſuorũ nomina, Mithridates duarũ & vigin-

viginti gentiū,quę ſub regno eius erant linguas diſcendo:Ille vt ſine monitore exercitum ſalutaret,hic vt eos, quibus imperabat,ſine interprete alioqui poſ-ſet. Quid ad hęc dicam de Q. Iunio? Dequo A. Gel. ità commeminit. Q. En nius tria corda habere ſeſe dicebat: quod loqui gręcè,& oſcè & latinè ſci-ret.Verum id quidem eſt ex Ariſtote-lis ſententia, naturalem cuiuſque rei proprietatem,non aliter,ac natura eſt ipſa, diſponi: prout Iacobus Stapulen ſis in eiuſdem Ariſtotelis Ethicen ſcri-bens hæc adhibet verba: Nihil eorum, quæ ſunt natura, aliter aſſueſcunt: vt lapis,cui quidem natura competit fer-ri deorſum, nunquā aſſueſcit ferri ſur-ſum:ſimili modo nec ignis ferri deorſū: nec aliud quicquam aliter,quàm ſibi na tura cōpetet,aſſueſcet.Neq; igitur natu ra,neque pręter naturā in nobis virtu-tes efficiūtur:ſed idonei quidem ad illas ſuſpiciēdas ſum⁹ natura:ſuſcipim⁹ autē ipſas,atq; pficimur p cōſuetudinē. pte-rea eorū;q̄ in nobis fiūt natura potētias

Lib.17. cap.17.

prius accepimus,deinde reddimus operationes:quod quidem ipsis sensibus intueri licet.Commentator item ait:Nullum sibi acquirat consuetudinarium habitum. Quapropter nullus diffidat se posse esse bonum. Nam si mala consuetudo insitam potentiam,naturalem quæ ad virtutesindolem suspendit, & eius vitium in melius vertit,ac emendat,quasi pęonia ope recuperata sit redintegratáque perfecta mentis sanitas, natura sumus idonei, cùm in natura nostra situm sit. Refert in totum hoc vel illo modo statim ab ineunte ætate sic homines assuescere.Nam recta educatio mores facit: & si à puero iacta sunt virtutum fundamenta,solemus in bonitate perseuerare, & beatam capescere vitam.Ergo Principes ab infantia educandi sunt in virtutibus, ac bonis literis. Nam nobiscum adolescunt virtutes ipsę:Contra verò mala educatio vitiorum fomes est: quæ vbi ab ineunte ętate combibimus, quasi morbi quidam nobis congeniti quotidie ado

lescunt

lescunt,ampliusque sumunt incremen ta nocendi:& nos tandem,nisi salubriter occurritur, ad extremam perducunt miseriam.Ergo quod Horatius admonet,salubre est adolescenteis tenaci mente figere,& sæpe id sibi præsens in animo habere

Nunc exhibe puro.
Pectore verba puer:& te melioribus offer,
Quo fuerit imbuta recens serua- odorem
Testa diu.

Inde & Erasmus Roterodamus inquit Nihil ità penitus insidet & inhærescit, vt quod primis illis inseritur annis:in quibus quid imbibamus cùm in omnib. per multum refert, tum verò in Principe plurimum.Expediet insuper magnanimorum veterum virorum gesta iunioribus Principibus proponere, vt poëta consulit huiuscemodi carminibus.

Interea Musis animus:dũ mollior ætas
Et quæ mox imiture legas:nec desinat vnquam

Tecum Graia loqui, tecum Romana vetustas:
Antiquos euolue Duces. Assuesce futuræ
Militiæ, latium retro te cõfer in æuum.
Libertas quæsita placet: Mirabere Brutum.
Perfidiam damnans: Geniti satiabere pœnis.
Triste rigor nimius, Torquati respice mores.
Mors impensa bonum. Decios venerare ruenteis.
Vel solus quid fortis agat te ponte soluto
Oppositus Cocles Mutij te flamma docebit.
Quid mora prospiciat Fabius: Quid rebus in arctis
Dux gerat, ostendet Gallorum strage Camillus:
Discitur hic nullos meritis obsistere casus.
Prorogat æternam feritas tibi punica famam


Regulæ

Regule: Successus superant aduersa Catonis.
Discitur hinc quantum paupertas sobria posit.
Pauper erat Curius, Regem cum vinceret auro.
Pauper Fabricius Pyrrhi quum sperneret aurum.
Sordida Seramus flexit dictator aratra
Lustratæ Lictore casæ: faceis que salignis
Postibus affixi: Collectæ à Cõsule messes
Et sulcata diu trabeato rura Colono:

Id genus alia in medium prolata mẽteis humanas quum ad vitia fugienda, tum ad virtutes præsertim ac Sapientiã capescendam vehementer excitant & accendunt. Nam & sapientia ipsa mortaleis ad sese audiendam inuitans, ait: Ad vos ô viri clamo, & vox mea est ad filios hominum. Intelligite o vos incauti solertiam: & insipientes corde intelligite. Audite disciplinam, & sapientes estote. Prou. 8.

QVANTI SIT MOmenti *sapientia, Quidque in se contineat: & Quænã sit eius in hominibus efficacitas.*

CAP. X.



VÆ res neque sciũtur, neq; cognoscũtur, nõ etiam diligi, aut quæri aut æstimari solent. Quocirca vt Principes, alijque gentium Rectores agnitam sapientiam multò impensius ament, hîc aliquid nobis de illa breuibus disserendum est. Vnde autem commodius exordiamur, quàm ab encomico, quod illi tribuit Solomon? Is
Sap. 7. nãque sapientiã cõmẽdaturus ità inqt. Neminẽ Deus præter sapientiæ studiosum diligit. Nam hæc Sole speciosior est, & omnem astrorũ seriẽ superat: lucique comparatã potior deprehẽditur: siquidẽ nox pellit hãc: sapientiã autem malicia non vincit: sed pertingit ad extremo ad extremum vsque penitus

&

&vtiliter omnia disponit. Quapropter optaui, & data est mihi intelligentia:precatus sum, & obuenit mihi spiritus sapientiæ. Sceptris & solijs antepofui illã,diuitiásq; præ illa nihilipendi,nec gẽmarum precium ei cõparaui: quoniã respectu eius aurũ omne arena pauca est, & ad rationẽ ipsius argentũ pro luto reputandũ.Hanc dilexi supra sanitatem;ac formã,vsúmque eius luci præoptaui, vt cuius splẽdor supprimi nõ possit. Accesserũt autẽ mihi oĩa bona simul cumilla:innumeræque sunt in manibus eiusdiuitię.Lætitiã percepi ex omnibus: vt quorũ caput sit sapientia: Ipsam autẽ horũ matrẽ ignorabã:Nam thesaurus hominibus inexhaustus est: quo qui fuerint vsi, amicitiam cũ Deo iunxerint. Ad hæc Aristoteles in Metaphysicorũ lib.1.sic ait:Sapiẽtia est cognitio rerũ diuinarũ, habẽs caput inter omneis alias sciẽtias. Et sapiẽtia est scientia primarũ & altissimarũ causarum. Et in Ethicorum sexto libro, Sapientia est(inquit)certissima omnium aliarum

ſcientiarum. Iacobus ſtapulenſis interpretatur ſapientiam eſſe Metaphyſicã primã, ſupremã, diuinam, ſupermũdanámque philoſophiã. Theoreticus quoque in Dialogo primo ſapientiã ipſam finit eſſe, quæ maximè ſcibilia, primas cauſas, primáque principia contemplctur. Commentator etiam in Ethi. vj. ſic habet: Sapiẽtia, ſcientia eſt, vt caput habens, quod diuinorum contemplatrix ſit, & vt in altiſsima ſpecula longè cunctã dignißimè proſpectãs, manifeſtißima cœli entia. Eſt igitur ſapiẽtia, intellectꝰ pariter & ſciẽtia, eorũ quę ſunt honorabilißima in natura, caput ſummitatémq; tenẽs, nã vt prædeterminatũ exactiſsima. Sapiẽtia vero habet principia & cõcluſiones neceſſarias, & præterea eſt de rebus neceſſarijs, & quæ non poſſunt, non eſſe. Quare manifeſtum eſt, principia & ſcibilia ſapientiæ lõgè plus habere certitudinis, quàm principia & ſcibilia aliarum diſciplinarum. Deinde ponitur alia ſapientiæ ſignificatio, quã artis ſeruilis virtus: deffinitúrque, quod ſit vltima & conſumata artis perfe-

ctio. Et hoc modo ſapiens eſt, qui completam exactámque artis perfectionem aſſecutus eſt: vt Polycletus arte ſtatuaria admodum inſignis; in ea acceptione, ſapiẽs eſt ſtatuarius. Zeuſis Heracleotes ſapiẽs habitus eſt pictor: q᷑ tãta arte vuas depinxerit, vt aues ipſarũ imagine deceptæ, ad eas decerpendas aduolarint. Quũ itaque ſuperius paulò dicta Sapientia res omneis in vniuerſum, vti ſe habent agnoſcendo comprehendat, iudicio errare non poteſt. Et quoniam ſecum hæc ſcientiam trahit; neceſſe eſt huiuſmodi ſcientiam rerum eſſe incorruptibilium atque æternarum: quum Ariſtoteles affirmet, ſcientiam eſſe de ijs, quæ non poſſunt aliter ſe habere. Non eſt igitur ignorandum vniuſcuiuſque ſcientiæ perfectionem in eo conſiſtere, vt res non tantùm vniuerſè & confuſè: verũ etiã ſeorſum ac diſtinctè cognoſcãtur. Quo fit, vt poſtea de ijs ipſis valeat ſapiens experientia magiſtra rationem reddere: quemadmodùm de arte ſua quiuis peritus artifex

artifex. Ideóque Metaphysicus in sapiẽte sex inesse vult qualitates ità inquiẽs. Oportet sapientem scire omnia in vniuersali: Difficillima cognoscere: Scientiam nactũ esse certissimã: Circa scientiam omnẽ causas assignare posse: Sciẽtiam maximè propter se, sciẽdique gratia expetibilem habere: Item habere & scientiam præcipuam & maximè liberam, quæ suijpsius sit causa, & non alterius: Præter hæc Aristoteles affirmat, quòd vera philosophia facit cognoscere suum Creatorem. Philosophia animũ subleuat, fabricat vitam, disponit actiones, regit agenda, & omittenda demonstrat. Ergo sapientia vt præteritorum meminit, sic præuidet futura, quò possit imminentia vitare pericula: Solatur hominem in afflictionibus, optimis armat consilijs, quæ fugienda, quæ sequenda sint edocet. Nam vt habetur Prouerbiorũ tertio; ad dexteram eius est diuturnitas, ad sinistrã verò eius opes & gloria. Viç eius sunt viæ amœnæ, & omnes semitæ eius pacatæ. Hæc est illa

In lib. 1. De Po. & Mor.

Sen. ad Balbum.

illa ſapientia, quæ homines quanuis hu
mileis nobilitat: & ſine qua nemo vel ab
Hercule ſtirpem deducens aliquid eſſe
putatur: quod neque torques, neque in
ſignia, neque tituli, neque ſtatuæ, neque
ſolia, neque coronę, neque ipſa denique
ſacrificia nobilitatem aliquam ſine ſa-
pientia conferant hominibus. Quem-
admodum & Seneca inquit, Philoſo- *Ad Balbũ.*
phia Platonem nobilem non accepit:
Sed eum nobilem fecit. In hanc ſenten
tiam Eccleſiaſticus quoque ait. Nam
etiam ſi quis fuerit ex hominum proge
nie conſumatus, ſapientia tua tamẽ ca-
reat, nihil fuerit æſtimandus. Quid ob
ſecro ſuper cęteros mortaleis tam extu
lit Solomonem? an regia dignitas? an in
numerabiles theſauri? minimè profe-
ctò: Sed ſolummodo diuina ſapientia.
De cuius efficacitate reliquũ eſt, vt non
nihil etiam loquamur. Idem Solomon
Sapientię ſeptimo ſic inquit, Mihi de-
dit Deus, eorum quæ ſunt in natura, ve
ram cognitionem: vt mundi cõſtitutio-
nem, vímque elemẽtorum intelligam,

initium,exitum,mediúmque temporũ, ſolſtitiorum viciſsitudinem, ac tempeſtatum varietatem, annorum circuitus ac ſitus ſtellarum:naturas animalium, iráſque beſtiarũ,ventorum vim,& cogitationes hominũ,differentias plantarũ radicúmque facultates,omnia denique quæ ſunt recondita & aperta cognoui. Nam omnium artifex ſapientia me docuit. Eſt enim ſpiritus in ea intelligens, ſanctus,ſimplex,multiplex,ſubtilis,nobilis,illuſtris,impollutus,perſpicuus,innoxius,boni ſtudioſus, acutus, expeditus,beneficus,human⁹,ſtabilis, certus, ſecurus,omnipotens,omnia perſpiciẽs, atque per omneis ſpiritus intelligẽteis, puros: ſubtiliſsimóſque permeans. Et paulò poſt. Nihil polluti in eam cadit, etenim lucis æternæ ſplendor eſt. Quã obrem ſi Princeps magiſtrã hãc ipſam habuerit ſapientiam optimè ſanè ille quidem inſtitutus, optimè pariter ſubiectum ſibi populum inſtituet. Huic igitur acquirendæ ſeriam & continuam operam ſedulò nauet.

QVIBVS MODIS PARE-tur sapientia.

CAPVT XI.



AEPIVS iam dictum est supra sapiétiam in sese non modo diuinarum humanarúmque rerum cognitionem continere, verum etiam quum publicorum magistratuum, prouinciarúmque tum priuatarum familiarum regimina disponere atque administrare: vt non minus hac ipsa reliquorum hominum rectores, quàm semina calore solis indigeãt. Ad hoc additum est, haud aliter debere Principes hãc eandem sibi quàm sitibũdus ceruus limpidarum aquarum fontem lucidissimum expetere. Iam superest, vt hîc tria nunc videamus, per quæ huiusmodi sapientia siue acquiréda sit ea, siue infundẽda paratur. Quod ad parandam, quæ infunditur, sapien-

Cap. 1. tiam atinet, illud Apoſtoli Iacobi primũ ſibi vendicat locum. Si cui veſtrum deeſt ſapientia, poſtulet ab eo, qui dat (nempe Deo) qui dat inquam omnibus ſimpliciter, nec exprobrat, & dabitur ei: ſed poſtulet cum fiducia, nihil hæſitans. Nam qui hæſitat, is ſimilis eſt fluctui maris, qui ventis agitur, & impetu rapitur. Qua de re Solomon in regali ſolio conſtitutus acquirẽdæ huiuſce ſapientiæ percupidus, quò prudẽtius populum ſibi concreditum regeret: illam ipſam à Deo votis omnibus expetiuit: ſic orans. Tu ingentibus beneficijs proſecutus es ſeruum tuum Dauidem pa-
3. Reg. 3. trẽ meũ, quẽadmodũ & ipſe ambulauit corã te in veritate, & iuſtitia, & rectitudine cordis tecũ: & ſeruaſti illi magnã hanc beneficentiam, vt dares illi filium qui ſederet in ſolio eius, vt hæc dies declarat. Nũc igitur Domine Deus meus tu conſtituiſti ſeruum tuum Regẽ pro Dauide patre meo. Ego vero puer ſum paruus, ignorans egredi & introire: Et tamen ſeruus tuus eſt in medio populi

tui,quem elegiſti. Et quidem populus eſt multus, qui numerari non poteſt, nec recenſeri præ multitudine. Da igitur ſeruo tuo cor audiens ad iudicandum populum tuum: & vt diſcernam inter bonum & malum. Quis enim populum hunc tuum tam præcellentem & amplum iudicare poſſet? Placuit hæc res coram Domino, quòd Solomon poſtulaſſet rem huiuſcèmodi. Et dixit Dominus ad eum. Quandoquidem poſtulaſti rem talem, & non poſtulaſti tibi dies multos, neque petiſti tibi diuitias, neque petiſti animam hoſtium tuorũ ſed poſtulaſti tibi, vt intelligeres, vt audire poſſes iudicium: En ego feci iuxta verba tua: En ego dedi tibi cor ſapiens & intelligens: & cætera quæ ſequuntur. O felicem ſanè Principem, illum, cui cum veræ ſapientiæ Authore Deo perpetua conſuetudo, & continua familiaritas eſt: ab ipſo nanq; Deo nõ niſi vera diſcet: quum interim, quæ ab hominibus tantum percipit, vt plurimum erroribus inuoluta ſint. Proinde qui men

tis aciem in vnum Deum dirigit, pro negociorum occurrentium qualitate maiorem in dies intelligentiam adipiſcitur. Quum Dauid Rex vehementer optaret ſapientiam diuina lege contentam, non modo intelligere, ſed etiam regendis populis adhibere, integram ſibi à Deo intelligentiam donari verbis huiuſmodi flagitauit. Da mihi intellectũ, & ſcrutabor legem tuam: & cuſtodiam illam in toto corde meo. Et paulo infra, Bene iudicandi facultatem &. ſcientiã doce me, qui præceptis tuis fidem adhibeo. Sicut itaque cum eruditis aſſiduum habere commercium, reddit homines doctiores, ſic & animus noſter cõtinuis precibus inſiſtens quandã veluti familiaritatẽ cũ Deo contrahit, per quã lucidius mentis oculus illuſtratur: Nã per ipſas p̃ces colloquitur cũ Deo, cordis affectus exprimit: rebus in dubijs cõſiliũ, ſolatiũ in aduerſis exquirit. Quarũ affectionũ imagines quamplurimæ Dauidicis in Pſalmis exprimũtur. Hoc idẽ & Romanos feciſſe cũ ſuis Dijs T.

Liuius ac Valerius Maximus esse testimonio possunt. Nam etiam illi suorum numinum consulebant oracula: sacrificia illis & precationes offerendo, quid in maximi momenti rebus esset agendum perquirebant. Quod vel vnius exemplo Romuli satis liquet. Is enim Sabino bello cùm suis in fugam versis, victoria videretur ad hosteis inclinare, turba fugientiun actus arma ad cœlum tollens, Iupiter tuis, inqut, auibus iuss⁹, hîc in Palatio prima vrbis fundamenta ieci: arcem iam scelere emptam Sabini habent: inde huc armati superata valle media tendunt: At tu pater Deûm, hominumque hinc saltem arce hosteis: deme terrorem Romanis, fugámque fœdam siste: Hîc ego tibi templum statori Ioui, quod monumentum sit posteris, tua præsertim ope seruatam Vrbem esse, voueo. Hæc precatus: veluti sensisset auditas preces, hîc, inqt, Romani Iupiter optim⁹ maximus resisistere atq; iterare pugnā iubet: atq; alia quę sequuntur. Ergo fides in

Libro 1. ab Vr. Con.

Deum ſyncera, piæque ſupplicationes primam ſapientiæ viam ſternunt. Secũdum quod ad hoc requiritur, id quidẽ eſt, vt optimis ac prudentiſsimis Autoribus legendis memoriæque mandandis aſsiduè incumbamus. Etenim ipſa etiam Sapientia nos per Solomonem huc vocat, inquiens: verbis meis erudimini, & adiumentum ſentietis. Hinc & Paulus Apoſtolus doctrinam ſacrarũ literarum mentẽ excitare atque intel-
Rom.5. lectum illuſtrare contendit, vt animũ virtute ac fortitudine roborent, & per ſpem afflictos conſolentur. Præſertim verò qui magiſtratibus præſunt: hiſce doctrinis dare operam conuenit: quum ea de cauſa pręceperit ipſe Deus, vt qui recturus eſſet Iſraëliticum populum diuinæ legis volumina nõ ſolum apud ſe haberet, verum his etiam legendis intelligendiſque dies ac nocteis operam ſtu-
Deut.17. dioſè nauarent: Per Moſem enim ſic inquit: Poſtquam autem Rex tuus ſederit in ſolio regni ſui, deſcribet ſibi Deuteronomiũ legis huius in volumine, ac-

cipiens

cipiés exemplar à sacerdotibus Leuitis & habebit secum, legétque illud omnibus diebus vitæ suæ, vt discat timere Dominum Deum suum, & seruare omnia verba legis huius, & statuta ista, vt faciat ea. & quæ inibi sequuntur. Ideóque, Qui magistratibus gubernandis præfecti sunt, operæprecium facient, si sibi subiectos populos per sacrosanctæ legis huiusmodi semitam ducent: Nam qui humanæ tantum prudentiæ innituntur, plurimos in errores frequenter incidere quietásque alioqui nationes perturbare consueuerunt. A qua sententia non abhorret Erasmus asserens, ob eam causam voluisse Platonem serò Dialecticen attingi à Custodibus, quod hæc in vtranque partem disserat, & minus firmas reddat de honesto aut inhonesto opiniones. Non inutile porro fuerit Principi septẽ Græciæ sapientium dicta, quorum nomina passim leguntur, in memoria habere: ij nanque primo in Græcia honestæ vitæ magistri ac duces habiti sunt: quique morum

præcepta breuibus sententijs tradiderunt populis: Quorum nonnulla hîc interseruntur, vt promptius habeat Princeps & quod legat, & vnde mores ac virtutes formet. Sunt autẽ huiusmodi.

Teipsum perficito.
Bonum insitum augeto.
Fortunam fugacem meditator.
Naturam non deserito.
Vtilibus ad optima intendito.
Næminem lædito.
Mundam voluptatem amato.
Tristitiam pellito.
Honestum præponito.
Summopere vitium odito.
Virtutem colito.
Officium exerceto
Ad virtutẽ te natum cogitato.
Ratio dominator.
Sensus pareto.
Mentem excolito.
Nihil inconsultè facito.
Medium teneto.
Ne quid nimis videto.

Itidem ne quid minus.
Prudentem Ducem eligito.
Ipso vt oculo vtitor.
Quid faciat videto.
Vireis tuas metitor.
Finem cogitato.
Sciens gratusque facito.
Cui facias, & cum quo, quando vbi & quomodo.
Maius malum magis deuitato.
Insito morbo fortius obsistito.
Voluptatum retia fugito.

Hic igitur Magistratuum Rectores tanquam in leui speculo sese cõtẽplentur, quanquã sua regimina pulcherrimis his cõformia sint sentẽtijs videãt. Quotidie sapientiũ virorũ dicta, factáque literis tradita aut legant ipsi, aut alios legenteis audiant: ac pręsertim eorũ Philosophorũ, Qui Rempublicam optimè rectissiméque administrare docent, Multò pluris tamen ęstimabunt Sacrarum scripturarum lectionẽ: vnde quo pacto veri Dei cultus ritè cõstituatur, quoque pacto ad pscriptũ

diuinæ legis populi gubernentur, edifcere valebunt. Obſeruent præterea quantam adhibuerint Romani curã, vt Sibyllinos libros in vnum colligerent, propterea quod numinum inſpiratione compoſitos fuiſſe arbitrarentur. Nam veteres vocabant Sibyllas mulieres entheas, hoc eſt, quarum pectus Deum recepiſſet. Vnde Virgilius dicit, magnam cui mentem animumq; Delius inſpirat Vates. Dictæ autẽ ſunt Sibyllæ, quod diuina conſilia noſcent. Cæterum ſi quis plura de Sibyllis intelligere deſiderat, Is libros rerum diuinarum quos ad C. Cęſarem Pontificem maximum Varro ſcripſit euoluat. q uã uis etiam apud alios Authores quamplurima de Sibyllis ipſis inueniet: quæ non eſt opus vt hic receenſeãtur. Libros autem Sibyllinos conſulere Romani conſueuerant, quoties aliquod ingens periculum immineret, vt inde quid agẽdum ſibi ipſis tum foret, expiſcarentur. quemadmodum de Q. FabioMaximo videre eſt. Is enim dictator iterum, quo

die magiſtratum inijt, vocato Senatu à Dijs orſus quum edocuiſſet patres prius negligentia ceremoniarum, auſpiciorúmque temeritate atque inſcitia peccatū à C. Flaminio conſule eſſe, queque piacula iræ Deûm eſſent, ipſos Deos conſulendos eſſe per uicit, vt, quod non fermè decernitur, niſi quum tetra prodigia nuntiata ſunt, Decemuiri libros Sibyllinos adire iuberentur: Qui inſpectis fatalibus libris retulerunt patribus, quòd eius belli cauſa votum Marti foret, id non ritè factū: deintegro atque amplius faciēdum eſſe, & Ioui ludos magnos, & Veneri Erycinæ, ac Deæ Menti vouendas eſſe, & ſupplicationem, lectiſterniúmque habēdum, & Ver ſacrum vouēdum, ſi bellatum proſperè eſſet, réſque publica in eodem, quo erat ante bellum, ſtatu permanſiſſet, &c. Quod ſi Romanis librorum Sibillinorum ſtudium vſque adeò cordi fuit, quò difficilia ſcitu inde perciperent: Quanto maiore cura Prophetarum oracula noſtris erunt Principi-

bus euoluenda? vt iuxta Dei manifestã voluntatem populis domi, bellíque & consilio, & institutíone & auxilio deesse posint? Nanque cœlestem hinc fauorem nanciscentur, qui res illis præteritas ad memoriam, præsenteis ad vsum, futuras ad euentuum prouidẽtiã reuocabit. Ea re neque sapientem scire memoria atque vsu, neque prudentem sine cõsilio, suíque officij & iudicio & industria esse posse arbitramur. Quid enim prodest vocari sapientem, & quæ dicta, quæue audita sint, cognitis etiam causis, memoria non tenere? Quã vtilitatem percipimus ex optimarum rerũ, prudentisimarúmque institutionum & lectione, & intelligentia, nisi omnia hæc ad exercitationem debitã redigantur? Afranius poëta de gignenda, comparandáque sapientia rectè A. Gellio est opinatus, quòd eam filiã esse Vsus & Memoriæ dixerit. Eo nãque argumento demonstrát, qui sapiens esse rerum humanarum velit, non libris solis, neque disciplinis rhetoricis, dialecticísque

Lib.13. cap.8.

cticísque opus esse, sed oportere eum versari quoque exercerique in reb' cõminus noscendis, periclitandísque. Eáque omnia acta & euenta firmiter meminisse, & perinde sapere, ac consulere ex ijs quæ pericula ipsa rerum docuerunt, non quæ libri tantum, aut magistri per quasdam inanitates verborum & imaginum tanquam in Mimo, aut in somnio delectauerint. Versus Afranij sunt in Togata, Cui Sellæ nomen est.

Vsus me genuit, mater peperit Memoria,
Σοφίαν *vocant me Græci: Vos sapientiam.*

Item versus est in eandem fermè sententiam Pacuuij, quem Macedo philosophus vir bonus familiaris meus scribi debere cẽsebat pro foribus omnium templorum.

Ego odi homines ignaua opera & philosophia sententia. Nihil enim fieri posse indignius, atq; intolerantius dicebat, q̃ ꝙ homines ignaui, ac desides operti

barba & pallio mores & emolumenta philoſophiæ in linguæ, verborúmque arteis conuerterent: & vitia facundiſsimè accuſarent, intercutibus ipſi vitijs mandãtes. Tertius, quo ſuperna cõquiritur ſapientia, modus eſt, vt natura ſit Princeps ad diſcendũ aptè diſpoſita, vehemẽtérque affecta: ob idq; cũ optimis ac doctiſsimis viris aſsiduá conſuetudinem habeat, quibus cum & colloquatur & diſputet: variáſque res, ac præcipuè de quibus dubitet, in medium proferat: vnde collocato diſcurſu prudentior fiat: atque indies magis magíſque diſcat, quid quum ad ſuam, tum ad ſuorum ſubiectorum vitam rectius ordinãdam faciat: quídue ſequendum fugiendúmue ſit. Ariſtoteles ex Theognis refert ſententia virorum doctorum, ſapiẽtiæque amantium frequentem conſuetudinem, honeſtum eſſe ad virtutẽ exercitium, per quod alter alterum ad ſcientiam imbibendam vrget ac prouocat. Iſocrates Nicocleum Regem admonet eleganter his verbis: Amicos facito

cito non quoslibet id ambienteis, sed qui tua digni sint indole: nec eos cum quibus iucundissimè sis victurus, sed quibus adiuuantibus quàm optimè rẽpublicam gubernaturus. Diligentissimus esto in explorandis ijs, quos in familiaritatem allegis tuam, memor futurum, vt omnes, qui tecum non habẽt consuetudinem, te similem arbitrentur ijs, quorum vteris familiaritate. Prouerbiorum author benignè mortaleis ad sapientiam prouocãs exclamat, Audiendo sapiens sapientior erit. Et alibi, Qui cum sapientibus graditur, sapiens erit, Graculus gaudet societate graculorum. Qui Princeps igitur sapientiam diligit, vitiosorum hominum societatem vitet, ne contagioso ipsorum morbo inficiatur: néue per eos in aula sua discordiæ ruinæque ferantur. Quin potius adiungat sibi taleis, per quos ad optima quæque gerenda, præsertim verò ad seruandam synceram fidem, semotis hæresibus disponatur. A quamplurimis ascribitur Cyneæ, quod Pyrrhus

Cap.1.
Cap.13.

rhus Epirotarum rex tantæ dignitatis amplitudine floruerit. Philipp⁹ quoque Macedonum Rex A.Gellio referēte sic ad Aristotelem scripsit. Philippus Aristoteli salutem dicit. Filium mihi genitum scito, quod equidem Dijs habeo gratiam, non proinde quia natus est, quàm pro eo quod eum nasci contigit temporibus vitæ tuæ. Spero enim fore: vt eductus, eruditusque abs te, dign⁹ existat & nobis, & rerum istarum successione. Cyrus Xenophontem habere apud se voluit, vt agendis de rebus illū consulere posset. Crœsus item Lydię Rex Anacharsin philosophum multis muneribus oblatis ad se pellicere quæsiuit. Dionisius quanuis tyrannus esset, valde tamen delectatus est Aristippi doctrina. Stilpo ac Menedemus philosophi Ptolomeo Regi admodum fuerunt accepti. Rex Antigonus adeò Biantem philosophum adamauit, vt quū aliqn̄ is ægrotaret, ipse rex quotidie p̄ duos è suis familiaribus hūc visitandum, illique prouidendum curauerit.

Lib.9.ca.3.

Eus. in Cro.

rit.

rit. Attalo Asię Regi gratus extitit Li
con philosophus. Antiocho Sirię De- *Mithridates*
metrius Phalere⁹. Mithridates Pôticus
Rex Metrodorum Lampsacenum Epi
curi discipulum tanta familiaritate cõ-
plexus est, vt suum hunc esse filium plu
res arbitrarentur. Platonem insuper
idem Mithridates tãti fecit, vt illi statuã
erexerit cum hoc titulo. Mitrhidates
Rhodobati filius Musis Platonis ima-
ginẽ dicauit. Alexander Macedonum
Rex Onesicritum atque Anaxarchum
singulari viros eruditione summa bene
uolentia prosecutus est. Plutarchus *Plutarchus*
de ipso Alexandro narrat: quod quum
is Corinthi Diogenem vidisset, eiusque
probasset ingenium; ac viri pruden-
tiam & magnitudinem esset admi-
ratus, Ni Alexander, inquit, essem:
Diogenes esse vellem.. Aliquantu-
lum (vt ita dicam) onustus sua fœli
citate, ac splendore, potentiaque ve-
lut impedimentis ocium negantibus
ad capescendam prudentiam & virtu
tem, inuidens tamen interim Diogeni

pallium ac peram, queîs ille inuictus erat, & insuperabilis: non quemadmodum ipsæ armis, equis & sarissis. Licebat igitur philosophantem simul & affectu fieri Diogenem, & fortuna manere Alexandrum. & quæ sequũtur. Nec minus idẽ is Alexander doctorum hominum commercio, quàm excellentiũ Authorum lectione oblectabatur: adeo vt de Homeri diceret Iliade, Sic illam belli, vt cibum corporis esse viaticum: Quam quo sæpius legebat, eò magis ad expeditiones exequendas accendebatur. Nõnulli dicere consueuerãt. Alexandrum quidem regna conquirere, verùm eadem Anaxarchi consilio cõseruare. Quid? quod nisi eiusdem Anaxarchi paruisset exhortationibus Alexander, suam gloriam desperatione quadam obscuraturus erat, gestarumque rerum egregiam famam perpetuò dedecore maculaturus? Concludendũ est igitur amplissimas multorum Principum dignitates frequenter illis per prudentissimos & institutores & Consiliarios

ſiliarios obuenire:quemadmodũ apud fidos hiſtoricos legere eſt. Nam & Achilles non adeò excelluiſſet,niſi Phœnice & Chirone præceptoribus optimis vſus eſſet.Neque Philippus Alexandri pater ad gradus tam ſublimeis perueniſſet,ſi non ab Epaminonda Thebano militarem artem perfectè fuiſſet edoctus. Alcibiadem quoque Pericles auũculus ingenuis artibus & liberalibus diſciplinis inſtituendum curauit. Atque hunc non ità multo poſt in vitia collapſum ad meliorem frugem Socrates reuocauit. Patricius Senenſis expedire Principibus ac magiſtratuum adminiſtratoribus ait,vt Homeri Rapſodiam nocturna diurnaque manu verſent, quam ipſe putat in hoc ab eodem eſſe Poëta conſcriptam,vt gubernandorũ dominatuum quoddam velut exemplar eſſet. Non enim bellicas tantummodo,ſed ciuileis etiam res pertractat: ac virorum excellentium fortia prudẽtiaque facta ſic extollit, vt qui hæc aut legant,aut audiant, ad eadem pa-

Au. Geli. 15. cap. 17.

ttãda summoperè animẽtur queãdmo dũ Theseus & Pirithous Herculis laudes decantari audientes ad ipsum imitandum accensi sunt. Optimum principi Plutarchus existimat cum optimis philosophis versari, sępiusque cum ijs, de rebus ad virtutem suumque officiũ pertinentibus differere. Nam inquit; In amorem insinuare sese, & in aliorum amicitiam inseri, & alios in amicicitiam recipere, eámque colere, quę multis tũ publicè tũ priuatim vtilitatẽ ac fructum allatura sit, id hominũ est ciuilium honestate & humanitate pręditorum, non gloriæ cupidorum, quemadmodum nonnulli dictitant. Quin cõtra potius, is & gloriæ sitiens, & probri metuens videtur, qui reformidat, ac veretur, ne dicatur studiosus, & obseruans eorum, qui potestate præcellunt. Alioqui quid dicit is, qui sanabilis est, & philosophiam desiderat? Vtinam sim Simon ille Coriarius, aut Grammatista Dionysius, è Periclis aut Catonis familia, vti mecum confabuletur, mihique assideat, quemadmodum Socrates il-

Quid Principi cõferat Doctorũ Virorũ consuetudo.

lis. Et Aristo Chius quũ malè audiret à Sophistis, quod cum omnibus, quicunque vellent, disputaret, dicere solebat: Feræ quoque intelligunt sermones qui prouocent ad virtutem, & nos refugimus habere consuetudinem cum viris potentibus, & optimatibus, perinde quasi immites sint, ac feri? Philosophię doctrina non est huiusmodi statuarum artifex, vt signa fingat, quæ in basi muta stent, & sensu expertia: Sed agilia studet facere quæcunque aggreditur, negociosa viuáque. Addit impetus, quibus excitetur: addit iudicium, quod inuitet ad vtilia: addit delectum, quo sequantur potiora; addit prudentiam, animique magnitudinem cum mansuetudine, cautelaque coniunctam, per quas res viri ciuiles libentius habent familiaritatem & consuetudinem cum præcellentibus dignitate viris, ac præpotentibus. Etenim siquis Medicus sit egregius, libẽtius illi medetur oculo, q̃ pro multis circumspiciat, multosque custodiat. Ità philosophus eius animi

curam libentius aget, quem videt pro multis sollicitum, quemque oporteat multis sapere, multis esse philosophũ, multis exhibere iustitiam. Verũ si Principem, aut Magistratum, & in negotijs versantem attigerit, atque hunc expleuerit honestate, per vnum prodest compluribus: quemadmodum fecit Anaxagoras Pericli familiaris: Dioni Plato: Pythagoras, Italiæ Primatibus. At Cato ipse relicto exercitu nauigauit ad Athenodorum. Scipio Panætium accersiuit, quum à senatu legatus esset, Virum, qui æqui atq; iniqui rationem haberet, velut inquit Possido nius &c. Qui hunc instituendum acceperit Vir ciuilis, & aptus Principibus, is toti reipublicæ profuerit: exhibens iustitiam, condens leges, puniens nocenteis, euehens moderatos ac bonos. Mihi verò videtur & nauium opifex elegans libentius clauum fabricaturus fuisse, qui audisset futurum, vt is Argo gubernaret, pro qua omnes essent sollicit i Et faber lignarius nõn tam libenter compositu-
rus

rus aratrum, aut plaustrum, quàm tabulas illas, in quibus Solon leges scripturus esset. Et sanè Philosophorum rationes, si Principem, & Rempublicam administrantium animis inscribantur infiganturque sic, vt inhęrescant, legũ vim nanciscuntur. Siquidem & Plato, nauigauit in Siciliam, futurum sperãs, vt philosophiæ decreta, & leges & facta gignerent in Dionysij negotijs. Verum reperit Dionysium ceu librum lituris egentem, ac maculis, mendisque plenũ, nec remittẽtem tyrannidis tincturam, qua longo iam tempore fuerat imbutus, vt facilè non posset elui. Faciles autẽ adhuc, & mutabiles sint oportet, qui honestas accipiant rationes. Hactenus Plutarchus. Ex cuius oratione percipi facilè potest, & quæ Principum cùm doctis hominibus, & quæ doctorũ hominum cum Principibus consuetudo ac familiaritas esse debeat, vt per hos admonitus officij sui Princeps eiusdem officij commoda in populum trãsfundere valeat, nõ secus ac cibus per os

in stomachum receptus alijs membris nutrimentum prębet. Supradictis rationibus licebit & quartam addere per quam sapientiores euadant Principes: Ea vero est huiusmodi vt ijdem principes peregrè nonnunquam profecti diuersarum Regionum & situs & mores accuratè percipiant: Quorum fructuū vnaquęque sit ferax: Quibus arboribus & Quibus animantibus abundet: An montosa sit, an in planiciem porrecta: Quo sub cœlo, quáue sub ipsius cœli primaria parte iaceat: Quib⁹ paludib⁹, Quib. lacubus: Quib⁹ fluminib. irrigetur: Quas leges obseruet: Quā religionē amplectatur: Deniq; quas merceis aliô transmittere consueuerit. Inde etenim fiet, vt magis cordati Principes euadant: pluráque hinc aliquando quàm ex libris intelligant ac discāt. Id quod etiam Vlissi contigisse commemorat Homerus, Nam plus illum prudentiæ longis ex erroribus varijsque peregrinationibus quàm ex bello Troiano contraxisse facit. Nestor Pylius

Rex


Rex gloriabatur se apud Lapithas populos fuisse. Menelaus item gaudebat se Cyprum, Phœniciam, atque Aegyptum perlustrasse: Thebasque Aegyptias portis centum insigneis, quarum vnaquęque ducentis custodiebatur equitibus, inspexisse: Neque his contentus Aethiopiam totam, plureisq; alias prouincias circumiuit. Virgilius quoq; laudaturus Aeneam, hunc loca plurima penetrasse, antequam in Latium peruenisset, exposuit. Sed si prætermissis poëtis ad Historicos descendere quis vellet, quantam quæso Regum, Principum, sapientiumque virorum copiam inueniret, qui totum ferè orbem varia rum rerũ discendarum causa, vt cauti magis fierẽt, peragrarunt? Verũ nos ne lõgi⁹ ab instituto progrediatur oratio, ijs recẽsendis hoc in loco supersedebimus. Id vnum tamẽ hîc addemus, quòd si Principi legitimis de causis non vacat abesse diutius à Regno, quemadmodũ aliarũ scientiarũ, sic & Geographiæ peritissimos adiungat sibi viros, per

quos ad exactè quæ suprà iã dicta sunt noscẽda omnia instituatur, vt quod illi non datur oculis intueri, saltem animo comprehendat: & si non omnimodam qualemcumque tamen delectationem atque vtilitatem inde capiat: Quam etiam Milesij Anaximandri, Aegytijq; Ptolemæi tabulæ diligenter inspectæ magis ac magis augebunt. Fama est, Alexandrum Magnum quoties aliquã Prouinciam, vrbémve debellandam aggressurus esset, curasse prius loci faciẽ sibi depictam proponi, vt quomodo cũ suos tutius conseruare, tùm hosteis acrius inuadere posset, inde conspiceret. Idem cum suis Imperatoribus fecisse Romanos ferunt: nempe vt quum essent aliquo Ducem missuri, quam impetiturus erat prouinciam eam illi pictam ob oculos ponebant, vt quo pacto commodius ea potiri posset, ex pictura colligeret. Econtrario quosdam publicorum munerum administratores ob gerendarum rerum imperitiam à suis interfectos fuisse compertum est: Alios

idem ab hoſtibus perpeſſos: vt de Cyro Perſarum Rege proditum eſt memoriæ. Nam quum Scythiæ quaſdam anguſtias parum cautè fuiſſet ingreſſus, à Tomyride Regina trucidatus vnà cũ toto exercitu fuit. Cautos igitur populorũ rectores eſſe cõuenit, vt ne temerè ſeque, ſuóſque conijciant in diſcrimen. Haud minimum quoque prodeſſet principi, rectè phyſiognomiam callere, vt ex vultus inſpectione cognoſceret, quos tanquam aptiores ad gerenda negocia ſibi deligendos eſſe iudicaret: Id namque pertinet itidem ad principis cohoneſtandam ſapientiam.

QVOMODO IAM PARTA *conſeruetur ſapientia.*

CAP. XII.



VONIAM non minor eſt virtus, quã quærere parta tueri, idcirco debent Principes cõquiſitam ſapientiam ſic integram

3.Reg.4. conſeruare, vt non aliquo ipſam vitio præſertim autem idololatria contaminent. Quantum enim Dei cultus erroneus gloriam illorum obſcuret è Solomonis nequitia manifeſtum eſſe arbitror. Hunc nanque fœmineis blanditijs
1.Reg.8. victum falſos coluiſſe Deos pro cõperto eſt. Quid? an nõ & Samuelis filij tra ditũ munus adminiſtratione vitioſa cõ ſpurcarũt? Athenis itẽ Piſiſtratus, Dionyſius in Sicilia, Romæ Sylla idipſum crudelitate ac tyrannide ſua effecere. Quorum omnium ſapientiam non ſupernam, ſed omnino terrenã fuiſſe con
Cap.23. ſtat. Quãobrem etiam per Eſaiam pro
& 33. phetam Deus inquit: Perdam ſapien-
Abd.1. tiam ſapientum: & prudentiam prudẽ-
Iob.5. tum reprobabo: taleiſque admonet dicens: Sapiẽtia tua & peritia tua te decepit. Nõnulli ſunt, qui ſe ſapientię cupidos eſſe demonſtrant: Verum id nõ ex animo, neque vt alijs, ſed vt ſibi ipſis be
Cap.4. neſaciant. De quibus Ieremias propheta ſic habet. Stultus populus meus me non cognouit: Filij inſipientes ſunt, &

vecor

vecordes, Sapiētes quidem ſunt, vt malè agant, ad benefaciendū prorſus ignari. Cauſa verò huius inſipientiæ eſt; q; Prouer. 14.
qui verè ſapiens eſt, Deum timet & declinat à malo: ſtultus autem tranſtulit & confidit. Sed Rex ſapiens impios diſſipat, & rotā vertit ſuper eos. Qui ſibi Rom. 11.
ipſis tantum ſapientes ſunt, ſui amore decepti non norūt, aut nō curant à malis abſtinere: ijs Paulus Apoſtolus ait. Ne ſitis vobisipſis ſapientes: id eſt caue te, ne veſtra ſapientia carnali prudētiæ Cap. 5.
coniungatur: Nam ijs qui ſunt huiuſmodi, minatur Eſaias inquiens: Væ qui ſapientes eſtis in oculis veſtris, & corā vobiſmetipſis prudentes. Si pro muneribus iuſtificatis impium, quæ ſapientia eſt? Quomodo dicitis ſapientes ſumus? & lex Domini apud nos eſt? Vere mendaciū operatus eſt ſtylus mendax ſcribarum. Pudore affecti ſunt ſapientes: pterriti ſunt, & capti ſunt: Verbū enim Domini proiecerunt: & ſapientia nulla eſt in eis. & cætera quæ leguntur apud Ieremiam capite octauo. Et ſanè ſapientia, quæ ſceleribus ac fraudi-

bus inquinatur, non vera est sapientia, quia bonis est operibus vacua. Iacobus enim apostolus de vera sapientia sic loquitur: Quis sapiens & scientia prędi-tus est inter vos?iudicet ex bona cõuer-
Cap. 3. satione opera suã cũ mansuetudine sapientiæ. Quod si inuidiam amaram habetis,& contentionem in corde vestro, nolite gloriari, & mendaces esse aduersus veritatem. Non est enim ista sapientia supernè descendens:sed terrena,animalis,dæmoniaca. Vbi enim inuidia est & contentio, ibi seditio & omne opus prauum. Quæ autem supernè est sapiẽtia,primum quidẽ casta est, deinde pacifica,moderata,tractabilis, plena misericordia & fructibus bonis,absque diiudicatione sine simulatione. Fructus autem iustitię cum pace seritur pacificis. Hæc Iacobus. A cuius sententiæ formula nõ admodũ aberrat M. Tullius: qui suis in officijs ita scripsit. Scientia, quæ est remota à iustitia, calliditas potius quàm sapientia est appellanda. Quocirca qui Princeps non se subducit ab

iniustis illicitísque rebus, quæ Deum, quæque homines offendunt, is profectò non ea, quæ bonum principem decet, præditus est sapientia. Qua de causa etiam perniciosis frequenter inuoluitur erroribus: vanásque sui capitis opinationes perpetuò sequens, nunquã à malignitate, malitiáque recedit: Vnde fit, vt nunquam etiam ad voluntatis diuinæ præscriptum imperet: quum sit omnino diuina similiter sapientia destitutus. Ergo vitia simul omnia vitanda sunt illi, qui veram sapientiam consequi desiderat.

ABIICIENDVM ESSE *Principi falsæ religionis cultum: veræque introducendum, & conseruandum.*

CAP. XIII.



ON minorẽ suæ religionis conseruandæ veríque Dei cultum dilatandi curam par est Christianũ Principem adhibere. atque olim genteis quamplurimas ac præcipuè potentisſimos Romanos adhibuisse constat, ij nanque in maiorẽ suę ipsorum religionis venerationem, per Pontificem Maximum summæ authoritatis virum, pérque alios peritisſimos sacerdotes ordine disposuerãt festos dies, oracula, Sibillinorum librorum inspectiones, diuinationes, auguria, portẽta, precationes, gratiarum actiones, variàque genus omne sacrificia: quemadmodum Valerius maximus libro primo, capite

Capite De cultu Deorum palam facit his verbis: Maiores, ſtatas, ſolenneiſque ceremonias Pontificum ſcientia: bene gerendarum rerum authoritate, augurum obſeruatione, Apollinis prædictione, vatum libris, portentorum depulſa, hetruſca diſciplina explicari voluerũt: Priſco etiam inſtituto rebus diuinis opera datur: quum aliquid commendandum eſt, precatione: quum expoſcendũ voto: quum ſoluendum, gratulatione: quum inquirendum, vel extis, vel ſortibus impertito: quum ſolenni ritu peragẽdum ſacrificio: quo etiam oſtentorũ, ac fulgurum denuntiationes procurantur. Tantùm autem ſtudium antiquis non ſolum obſeruandæ, ſed etiam amplificandę religionis fuit, vt florentiſsima tum, & opulentiſsima ciuitate, decem Principum filij. S. C. ſingulis Hetrurię populis percipiendæ ſacrorum diſciplinæ gratia traderentur: ac cætera quæ in eundem ſenſum eodem loci conſcribuntur. Quod ſi vanæ ſuperſtitionis vſqueadeò fuerunt obſeruantes Ethnici, quãto magis & principes &

respublicæ Christianæ verã religionẽ verísque Dei certissimum cultum cordi habere debent? Quem quidem cultum è cœlis delatũ Iesus Christus Dei filius per seipsum perfectissimè instituit:neque gentium modo ritus,verùm etiã Mosaicæ legis diuinitus datę ceremonias aboleuit, quas Paulus Apostolus vmbras fuisse testatus est.Itaque si Princeps Dei quoddã veluti simulacrũ videri vult,falsos diuorũ cult⁹ euertat: Solius veri Dei per Iesum Christũ agniti veros itidem cultus euangelica prędicatione, suáque authoritate leniter introducat. Nouerit se ad illam dignitatis amplitudinem vocatum, non vt ciuileis modo, sed vt spiritualeis quoque res ordinet,ne nimium terrena curando, cœlestiáque negligendo diuinã in sese prouocet indignationẽ. Etenim si gẽtilium Deorum cultores maximopere cauebãt, ne sua sibi numina vel ob contemptam religionem, vel ob non ritè peracta, siue prætermissa sacrificia grauius haberent infensa,quãto id magis

gis efficiendum est Principi Christiano qui Deum ipsum & patrem appellat, & imperij sui seruatorem (vti re vera est) arbitratur? Othnielis Israëlitici populi Iudicis exemplum sibi constituat ante oculos, vt videat, quo pacto Deus eundem populum idololatram atque ob id in hostium manus traditum per pium hunc ducem à misera seruitute liberarit: vt libri Iudicum tertio Capite continetur. Ad memoriam reuocet, quid Cyrus Persarum Rex afflatus diuino numine perpetrarit: Etenim de hoc per Esaiam sic loquitur Deus: Qui dico Cyro, Pastor meus es, & omnem voluntatem meam perficis: Qui dico Ierusalẽ ędificaberis, & templo fundaberis. Hęc dicit Dominus Christo meo Cyro, cuius apprehendi dextram: vt subijciam ante faciem eius Genteis. Alibi quoq; sic habetur: Anno primo Cyri Regis Persarum, vt compleretur verbum Domini ex ore Ieremiæ, suscitauit Dominus Spiritum Cyri Regis Persarum: & traduxit vocem in omni regno suo etiã

Ca. 44. & 45.

Esd. 1.

per ſcripturã dicens: Hæc dicit Cyrus Rex Perſarũ. Omnia regna terrę dedit mihi Dominus, Deꝰ cœli: & ipſe p̄cepit mihi, vt ædificarẽ ei domũ in Ieruſalẽ, q̃ eſt in Iudęa. Quis eſt in vobis de vniuerſo populo eius? Sit Deus illius cum ipſo, aſcẽdat in Ieruſalẽ, quæ eſt in Iudæa vt ædificet domũ Domini dei Iſrael (ipſe eſt Deus) q̨ eſt in Ieruſalẽ. & q̃ his adſcribuntur. Principes igitur acti ſuperno ſpiritu ſe in hoc electos & vocatos agnoſcant: imprimis vt obſequãtur Deo, deinde vt ſuperſtitionibus, falſiſque doctrinis populos liberent, indebitiſque grauaminibus non opprimant. ità fient Ioſaphato ſimiles: de quo ſcriptum eſt. Fuit Dominus cum Ioſapha-
2 Para. 17. to, quapropter ambulauit in vijs Dauidis patris ſui primis, nec quæſiuit Baalim: ſed Deũ patris ſui quæſiuit, & in p̄ceptis eius ãbulauit, & nõ iuxta op̄a Iſra
Cap. 17. elis. Hac de cauſa Regi præcipit in Deuteronomio Deus, vt & ſe penes habeat legem ſuam, & huic legendæ ſtudio nõ intermiſſo incumbat: quò diſcat timere Dominum Deum ſuum, eiuſque ſta

tuta seruare. Et ne extollat cor suum super fratres suos, neque recedat à præcepto, neque ad dexteram, neque ad sinistram, vt proroget dies in regno suo & ipse & filij sui, in medio Israelis. Nõ ergo satis est Principi legem Dei habere atque intelligere, nisi hanc eandem & obseruet ipse, & suis populis obseruãdam proponat: quemadmodum legimus hunc ipsum fecisse Iosaphatũ. Qui diligentissimè curauit, vt sibi subiectæ ciuitates omnes, per sacerdotes ac Leuitas diuinis legib⁹ instituerẽtur: Vnde etiã irruit pauor Domini sup omnia regna Nationũ. Semp enim sancrosancti Verbi Dei publicę Conciones admirationẽ ac terrorẽ malis, contra verô certitudinẽ, lætitiã, cõsciẽtię trãquilitatẽ religionis instaurationẽ, vitæ innouationẽ bonis afferre cõsueuerũt. Quod sanè videri facilè potuit, quo tempe sub Iosia rege diuinæ legis, q diu latuerat, codex inuẽt⁹ est. Verũ vt cõmodi⁹ qd in ea causa prudẽs pi⁹q; Rex effecerit obseruare Princeps optimè valeas, libuit hũc ipsi⁹

verba contextus etiam ad verbum trāſ
2. Paral. 34 ferre. Sic itaque ſe habet oratio. Annorum octo erat Ioſias quum regnare cœpit, ac triginta & vno anno regnauit in Ieruſalem. Is fecit rectum in oculis Domini, & ambulauit in vijs Dauidis patris ſui, nec declinauit ad dexteram, aut ad ſiniſtram. Octauo autem anno regni ſui, quum ipſe adhuc puer eſſet, cœpit requirere Deum Dauidis patris ſui: Duodecimo verò anno cœpit mundare Iudam & Ieruſalem ab excelſis, & lucis, & ſimulacris, & ſculptilibus: Deſtruxeruntque coram eo aras idolorum ipſorum, & ſimulacra, quæ erant ſuperpoſita, demoliri fecit: lucos quoque & ſimulacra, & ſculptilia contriuit & comminuit, ſparſitque illa ſuper ſuperficiem ſepulchrorum illorum, qui immolauerant eis: Et oſſa Sacerdotum cōbuſsit ſuper altaria ipſorū, mūdauitque Iudam & Ieruſalem. In vrbibus quoque Manaſſe & Ephraim & Simeon vſque ad Naphthali malleis ſuis per circuitum. Demolitus eſt itaque al

taria & lucos, & simulacra contriuit cō minuendo: & omnia simulacra excidit in vniuersa terra Israëlis postea reuers⁹ est Ierusalem. Anno autē decimo octa- 4. Reg. 22
uo regni sui postquā mundauit terram & domum, misit Sapham filiū Asaliæ, & Maasem principē ciuitatis, & Ioha filiū Ioachaz à commentarijs ad instaurandam domum Domini Dei sui. Venerunt itaque ad Hilciam Sacerdotē magnum, & dederunt argentum illatū in domum Dei, quod congregauerant Leuitæ custodes liminis de manu filiorum Manasse, & Ephraim, & de vniuerso residuo Israëlis, & ab vniuerso Iuda, ac Beniamin, & habitatoribus Ierusalem: Tradiderunt in manibus eorū, qui præerant operarijs in domo Domini ad sarciendas ruinas, & ad instaurandam domum. At illi dederunt artificibus, & cæmentarijs, vt emerent lapides excisos & ligna ad commissuras, & ad contignandas domos, quas destruxerant Reges Iuda. Viri autē illi operabantur fideliter in ipso opere: & super eos constituti erant:

&c. Et mox. Quũq; educerẽt argentũ, quod illatũ fuerat in domũ Domini, reperit Hilcia Sacerdos librum legis Domini latæ per manũ Mosis. Locutus est autẽ Hilcia, dixitq; ad Saphan Scribã: Librum legis reperi in domo Domini, & tradidit Hilcia librũ ipsi Saphã. Attulit aũt Saphan ipse librũ ad Regem: atque etiam retulit Regi rem dicendo: Quicquid datum fuit in manu seruorum tuorum, ipsi faciunt: Conflauerunt nanq; argentum, quod inuentum est in domo Domini, & tradiderunt illud in manum prępositorum, & in manum facientiũ opus. Indicauit præterea Saphan scriba Regi dicendo: Librum dedit mihi Hilcia sacerdos: & legit in eo Saphan corã Rege. Fuit autẽ cũ audisset Rex verba legis, scidit vestimenta sua; præcepitq; Rex Hilciæ & Ahicam filio Saphan, atque Abdon filio Michæ & Saphan scribæ, & Asaæ seruo suo dicendo: Ite, consulite dominum pro me, & pro residuo in Israele & in Iuda super verbis libri, qui repertus est: quoniam magnus est furor Domini, qui stillauit in nos, eo

quòd non custodierunt patres nostri verbum Domini, vt facerent iuxta omnia quæ scripta sunt in libro hoc, & quæ ad hoc faciunt, sequentia. Eadem verò ferme totidem verbis habentur etiam libro Regum quarto: Capite vigesimosecundo. Quibus & Caput vigesimumtertium hæc annectit. Misit Rex & cõgregauerũt se ad eũ omnes seniores Iuda & Ierusalem: Ascenditque Rex in domum Domini, & omnes viri Iuda, omnesque habitatores Ierusalẽ erant cum eo, & sacerdotes, & prophetę, & vniuersus populus à paruo vsque ad magnum: legitque in auribus eorum omnia verba libri fœderis, qui inuentus fuerat, in domo Domini. Stetit autem Rex iuxta columnam, & pepigit fœdus corã Domino, se ambulaturos post Dominũ, & custodituros pcepta eius & testimonia eius, decretáq; eius toto corde, & tota anima: vt suscitarẽt verba fœderis huius, quæ scripta sunt in libro illo: & stetit vniuersus Populus in fœdere. Præcepit insuper

Rex Hilciæ ſacerdoti magno,& ſacerdotibus ſecundis & cuſtodibus liminis, vt educerent è templo Domini omnia vaſa,quæ facta fuerant ipſi Baal, & Luco,& vniuerſæ militię cœli: & cõbuſsit ea extra Ieruſalẽ in campeſtribus Cidrón,tulitque puluerem eorum in Bethel. Ceſſare quoque fecit ſacerdotes Idolorum,quos poſuerant Reges Iuda, vt ſuffirent in excelſis in vrbibus Iuda, & in circuitibus Ieruſalem: ſimulque eos,qui ſuffiebant ipſi Baal, Soli & Lunæ,& ſignis & vniuerſæ militię cœli. Eduxit quoque Lucum è domo Domini extra Ieruſalem in torrentem Cidrón, & combuſsit eum ad torrentem Cidrón comminuitque in puluerem, ac proiecit puluerẽ eius ſuper ſepulchrũ filiorum populi. Et deſtruxit domos ſcortorum maſculorum, quæ erant in domo Domini,in quibus mulieres texebant cortinas Luco. Et venire fecit omnes Sacerdotes de vrbibus Iuda,& contaminauit Excelſa, in quibus ſuffiebãt Sacerdotes à Geba vſque ad Beer-ſeba & deſtruxit excelſa portarum, & quæ

erant in introitu portæ Iehoſuæ prin-
cipis vrbis, quæ erant ad ſiniſtram viri
ingredientis portam vrbis. Veruntamē
non aſcendebant vltra ſacerdotes ad al
tare Domini in Ieruſalem: ſed comede
bant infermentata in medio fratrum
ſuorum. Cōtaminauit etiam Thophet,
quod erat in valle filij Hinnon, ne trāſi-
re faceret quiſquam filium ſuum, aut fi
liam ſuam per ignem ipſi Móloch. Ceſ
ſare denique fecit equos, quos poſue-
rant Reges Iuda Soli, ab introitu domꝰ
Domini ad cubiculū Nethan, Mêlech
eunuchi, quod erat in ſuburbanis: &
currus ſolis combuſsit igni. Sed & aras
quæ erant ſuper tectum cœnaculi A-
haz, quas fecerant Reges Iuda, & alta-
ria quæ fecerat Menaſſeh in duobus a-
trijs domus Domini deſtruxit Rex, &
cucurrit inde, & proijcere fecit pulue-
rem eorum in torrentem Cidrón. Ex-
celſa quoque quæ erant coram Ieruſa-
lem, quæ erant ad dexteram montis
Oliueti, quæ ædificauerat Solomon
Rex Iſraelis ipſi Aſthoreth abomina-

tioni Sidoniorum, & Chemos abomi-nationi Moab, & Milchom abomina-tioni filiorum Ammon contaminauit Rex. Contriuit insuper statuas, & succi dit lucos, repleuîtque locum eorum os sibus hominum. Quin etiã altare, quod erat in Bethel, & Excelsum, quod fece rat Ieroboam filius Nebat, qui peccare fecit Israelem, altare inquam illud, & Excelsum destruxit: combufsítque Ex celsum, & comminuit in puluerem: cõ-busfsit & lucum. Et statim infra sic addi tur. Præcepit Rex vniuerso populo, di-cẽdo: Facite Pesah Domino Deo vestro sicut scriptum est in libro fœderis. Nõ enim celebratum fuit tale Pesah à die-bus Iudicum, qui iudicauerunt Israelẽ, & cũctis diebus Regum Israelis, & Re gum Iuda. Decimooctauo autem anno Regis Iosiæ factum est Pesah istud in Ierusalem. Sed & Pythones & Magos & simulacra, & idola, atque cunctas a-bominationes, quæ conspiciebantur in terra Iuda, & in Ierusalẽ remouit Iosia, vt statueret verba legis scripta in libro,

quem

quem inuenit Hilcia sacerdos in domo Dñi. Et hæc ex veteri testamento huc allata sufficiãt. Quæ si Christiani Principes rectè perpendent, nihil erit, quod Prædecessorum suorum qui extra diuinæ scripturæ instituta malè vixerũt, vestigijs velint insistere. Sed quemadmodum ipse Iosia Menassem, Ahaz, Azariã, pluresque alios Reges impios minimè secutus est, ita ad sacrarũ scripturarum authoritatem suos mores, populorúmque suorũ administrationes abiectis præcedentium erroribus attemperabunt. Nam potissimum ipsos veritatem amplecti subiectísque sibi gẽtibus hanc proponere par est. Quanquam id admodum pauci curent efficere. Atque inde est, quod eorum plerique quoties ipsa veritas retegitur, aut horreant, aut obstupescant, aut indignentur, propterea quod ex veteri consuetudine contrarijs iam infecti sint qualitatibus. Hîc mihi dicat aliquis, quænam doctrina, aut quænam viuendi forma Principem decet? illáne

Unde Principi recta viuendi ratio petenda sit, suísque proponenda.

quæ ab Homero, Socrate, Platone, Aristotele, Plutarcho, an quæ ab Erasmo Roterodamo cæterísque recentioribus traditur? Huic respondeo, legendos quidem huiusmodi authores esse, quæque ad ciuilem institutionem spectant, cum iudicio ex illis excerpenda. Verum integra perfectáque viuendi atque imperandi ratio non nisi ex prisci nouíque testamenti sacris voluminibus Principi Christiano comparanda est. Nam qui Christi religionem profitétur, æquum est vt Christi quoque scita, placitáque sequãtur. Et quamuis nouum testamẽtum de magistratibus ordinandis nihil in se contineat, sed Christianos illis tãtum obedire, tributa persoluere, atque honorem exhibere pręcipiat, vt Christus inquit, Reddite quæ sunt Cæsaris, Cæsari: & quę sunt Dei Deo: & Petrus ac Paulus huic astipulentur sententiæ, nihilosecius tamen quas Christus ordinationes ad magistratus administrandos è veteri testamento non abstulit, Christianis eas Principibus obseruandas,

das,

das, vt populis vſui futuras, quis obſecro non exiſtimet? Qua in re illud animaduertendum eſt, ex Moſaicæ legis præceptionibus quaſdam fuiſſe cõmutatas, aliquot abrogatas: nonnullas verò firmas adhuc perſiſtere. Quæ prius offerebantur ſacrificia, in ſuij pſius vnicam ac perpetuam hoſtiam, præcedentibus abrogatis immutauit Chriſtus. Idem ab eodem cum ſacerdotio factum eſt, vt ad Hebræos Epiſtola nobis enucleatè perſcribit. Alia verò quędã eiuſdem legis decreta robur adhuc obtinẽt integrum: vt idololatriam eſſe penitus extirpandam: veríque Dei verum cultum & erigendum, & erectum perpetuò conſeruandum: & id genus permulta: quę Principes inſtaurare ac ſarta tecta præſtare Ioſaphati ac Ioſiæ inſtar debent. In primis igitur eſt illis curandum, vt per bonos concionatores verbũ Dei purum ſine additamento, aut imminutione populis apertè proponatur, ac ſynceriter explicetur. Ad quod audiendum ipſi præſentes adſint, vt alios

quoque ad se imitandum prouocent,& inde ad obediendum præceptis diuinis inuítent. deinde religionis falsæ ministros exauthoratos dimittant, legitimosque substituent, vt Iosiam Regem fecisse constat. Qui verò legitimi sint Ecclesiæ ministri,& quo pacto inaugurentur, quibusue appellentur nominibus, & quales esse debeant, cum quod ad doctrinam, tũ quod ad vitam attinet,denique quibus officijs vnicuique fungendum sit, ex pluribus Paulinarũ epistolarum locis manifestissimè colligitur. Talem itaque formam in Ecclesiá Dei principes introducant,vt per veros Episcopos ac reliquos administros & sanioris doctrinę,& sacrorũ signorũ, quę sacramẽta vocãtur, & cæterorum munerũ ad ipsam ecclesiam facientiũ vsus integerrimus inuehatur, inuectus conseruetur,conseruatus perficiatur in Dei gloriã, inque Christi Iesu mystici corporis illibatam ædificationem. Isocrates insignis orator licèt in rebus veræ puræq; religionis hallucinetur & erret

ret,nihilominus tamen in eo,quem de administrãdo regno composuit, libro, sententiam hanc extulit. Si quę leges erunt aut consuetudines ciuitatis parũ rectę,eas tolle ac muta.In his q̃ ad Deorum cultum pertinẽt,ità facito, quemadmodũ est à maioribus pręscriptum. Existimes autem nullum sacrificiũ pulchrius,nullum esse cultũ maiorẽ.quàm si teipsum virum optimum iustissimũque pręstiteris, siquidem sperandũ est hoĩes eiusmodi citiùs à Dijs boni quidpiam impetraturos,quã istos, qui multas mactãt victimas. Hactenus Isocrates.Quæ sentẽtia verbis aliquot immutatis additoque interpretamẽto,vt cultum Diuinum à maioribus pręscriptũ à Prophetis & ab Apostolis traditũ intelligas,non erit Christiano Principi penitus contemnenda.

VNDE SIGNVM VERAE *religionis ac diuini cultus agnoſcendi ſumatur.*

CAP. XIIII.



LVRIMVM Principes ambiguis de rebus longas habent ac difficileis deliberationes: puta de bello gerendo: de inſtaurãda religione: atque id genus alia: vt & hodie videre eſt, in hac præſertim & religionis & doctrinæ cauſa. Nam cũ iam per Europam ferè totam varias de primarijs Chriſtianæ religionis capitibus inuulgari audiant opiniones, atque hanc huic, aliam alij arridere, vereẽtur illicò ne in aliquem errorem incurrant. Nonnulli ſunt, qui bella pertimeſcant: Alij ſic inquiunt. Libenter ſanè certum aliquod ſignum nobis exhiberi vellemus, per quod veram doctrinã à falſa, veros Prophetas à mendacibus, vera

vera demum miracula ab adulterinis discernere liceret, vt ex impedito hoc labyrintho tandem extricaremur. Ego vero, qui veritatem ipsam non magistratibus tantum, sed cunctis pariter hominibus notissimam esse percupio, pro viribus conabor huius agnoscendæ signum sacris è scriptis eductum sic in medium proferre, vt his, quoniam vidẽtur æqua postulare, fiat satis. Principio igitur sciendum est, Deum optimum maximũ suis è voluminibus hoc ipsum signum nobis ostendere, quum per Mosem ità loquitur. Si surrexerit in medio tui Propheta, aut qui somniũ somniet, dederitque tibi aut signum, aut portentum, eueneritque signum & portentum, quod prædixerit tibi: Atque is dixerit, Eamus post Deos alienos, quos non nostis, & colamus eos: non obedies verbis prophetę illius, aut somniatoris illius: quia tẽtat Dominus Deus vester vos, vt sciat, an diligatis Dominũ Deũ vestrum toto corde vestro, & tota anima vestra. Post Dominum Deum ve- *Deut. 13.*

ſtrum ambulabitis,& illum timebitis, ac præcepta eius cuſtodietis, vocique eius obedietis,atque illum coletis, eiq; adhærebitis.Concludit ergo Deus illa ſolũmodo,quæ ſuũ comprobant verbũ vera eſſe miracula.Verũ è contrario illa eſſe falſa,quæ per aliquẽ (quicũq; ille ſit)fiant,qui ſua deinde nos doctrina velit à veri Dei cultu,religionéq; remouere.Quin hunc adeò non eſſe audiendũ, vt ne Aue quidẽ illi,quod Ioannes ait, dicendũ ſit. Quod etiã firmari poteſt aliquot authorum diuinorũ ſententijs. Dauid PropheraRegius ait:VerbũDomini manet in æternũ. Inde Moſes &

Deut. 4. *Prou.*30

Solomon inquiunt.Non addetis ad verbũ,quod ego præcipio vobis, neque diminuetis ex eo vtcuſtodiatis pceptaDomini Dei veſtri:q̃ ego pcipio vobis:Itẽ alibi Moſes,Nõ facietis iuxta ómnia, quæ

Deut 12.

nos facimus hîc hodie,ſinguli quicquid rectum eſt in oculis ſuis. At Solomon ſubinſert:omnis ſermò Dei purgatus, clypeus eſt ſperantibus in ſe.Ne addas verbis eius,ne forte increpet te,& mendax deprehendaris. Vult itaque Deus

verbum ſuũ in tenebricoſo vitę huius itinere pedibus noſtris lucernam eſſe, non eam quidem quæ fatuis, ſed quæ prudentibus virginibus detur, vt ſancti ſpiritus oleo perfuſa, nos ad bonorũ operum curſum peragendum illuminet. Idcirco ne cęcutire contingat, alio loco nos admonet Moſes. Ponite, inquiens, verba mea hæc in corde veſtro Deut. 11. & in animo veſtro, atque ea ligate in ſignum in manu veſtra: ſintque vt frontalia inter oculos veſtros: Et docete ea filios veſtros, vt loquamini de eis quũ ſedebis in domo tua: & cum ambulabis per viam: quumque iacebis in lecto, & quũ ſurges. Scribes quoque ea in poſtibus domus tuæ & in portis tuis. Et quæ his addũtur ad idẽ faciẽtia. Eſt igitur ab hoc Dei verbo tanq̃ à Lydio lapide, falſorũ miraculorũ, falſæq; doctrinæ petẽda cognitio: ſed & pſeudoprophetarũ ſpiritus, & fallendi artes inde poterunt facile ꝑcipi, quemadmodum in veteri teſtamento huiuſmodi pſeudoprophetæ ſtatim cognoſcebantur,

quum populo persuadere tentabant vt, quod eodem verbo Dei prohibetur, Deos alienos adoraret. Christus itidē, in nouo testamento non patitur vnum vel ex minimis præceptis legis diuinæ solui. Ioannes quoque suę Apocalypsis vltimo capite sic inquit: Contestor cuiuis audiēti verba prophetię libri huius, siquis adiecerit ad hæc, imponet Deus super illū plagas scriptas in libro isto. Et si quis abstulerit ex verbis libri prophetiæ huius, aufferet Deus partem eius è libro vitæ, & ex vrbe sancta, & ex ijs, quæ scripta sunt in libro isto. Quū animaduerteret Paulus Apostolus nōnullos esse, qui nuntiatum abs se Euangelium quærerent immutare, Scripsit Galatis in hæc verba. Miror quòd ita citò, deserto eo, qui vocarat vos in gratiam Christi, transferamini in aliud Euāgelium: quum nullum sit aliud: nisi quidam sunt, qui turbent vos, & velint inuertere Euangelium Christi. Sed etiamsi nos, aut Angelus è cœlo, Euangelizet vobis, præter quod Euangelizauimus

Matth. 5.

Cap. 1.

uimus, vobis anathema ſit. mox eadem repetit: vt rem eſſe maximi momenti non dubites. Inſuper Ioannes Apoſtolus quomodo probentur ſpiritus an ex Deo, an ex Diabolo ſint, in prima abs ſe conſcripta epiſtola nobis oſtendit, & qui non confiteatur Ieſum Chriſtũ in carnem veniſſe, hunc Antichriſtum eſſe cõmemorat. De quo ſimiliter Antichriſto Paulus Apoſtolus oratione benè longa ſuos Theſſalonicenſeis admonuit. Hoc idem Aeneas Syluius, qui poſtea Pius Papa cognominatus eſt, ſuis in Cronicis fecit. Verborum autẽ ipſius relatione hîc ſuperſedeo, tum ne ſim æquo prolixior, tum verò quod ex ſeipſo liceat id petere, cui libeat. Porrò propheta Daniel multa recẽſet & ipſe eodem hoc de Antichriſto Capite nimirum octauo. Cui non minus aptari poſſe videntur ea, quæ de Rege Tyri habẽtur apud Ezechielẽ, Cap. vigeſimo octauo. Qui ergo huic Antichriſto ſeruiũt ipſius charactere inſigniti, eos Paulus verus Apoſtolus Pſeudoapoſtolos,

1. Ep. cap. 4.

2. cap. 2.

2. Cor. 11.

operarios dolosos, in apostolos Christi se quemadmodum Satanas in lucis Angelum trãsformãteis recte vocat. Qualé autẽ doctrinam etiam habeant. Idẽ Paulus Timotheum suũ admonet his
1. cap. 4. verbis: Spiritus certò loquitur, quod in postremis temporibus deficient quidã à fide, attendentes spiritibus impostoribus, ac doctrinis dæmoniorũ per simulationem falsiloquorum, cauterio notatam habentium propriam conscientiam, prohibentium contrahere matrimonium, iubentium abstinere à cibis, quos Deus creauit ad sumendum cum gratiarũ actione fidelibus. Eadem quoque de re scribit ad Colossenses inquiẽs
Cap. 2. Ne quis vos iudicet in cibo, aut potu, aut in parte diei festi, aut nouilunij, aut sabbatorũ: quæ sunt vmbra futurorũ, corpus autem Christi: Et paulò post. Si mortui estis cum Christo ab elementis mundi, quid quasi viuentes in mundo decretis tenemini? Ne tetigeris, ne gustaueris, neque contrectaueris: quæ omnia ipso pereunt vsu, iuxta præce-
pta

pta & doctrinas hominum: quæ verbó tenus quidem habent speciem sapientiæ per superstitionem & humilitatem animi, & læsionem corporis, nō per honorē aliquem ad expletionem carnis. Preterea Matthæus Euangelista Pseudoapostolos hos, qui Christi Regnum imminuere quærunt, hoc sermone, de Antichristi persequutione loquens, notat: Tunc si quis dixerit, Ecce hîc Christus, aut illic, ne credatis. Exorientur enim pseudochristi, & pseudoprophetæ & edent signa magna, & prodigia. Et q̃ sequūtur. Quod vero ad christianæ religionis attinet sacramenta, cordatus Princeps haud difficulter obseruare poterit, an ad institutum diuinum administrentur in Ecclesia Dei, nec ne, cognoscet insuper an mutilata, an aliqua te extraria sint aucta. Idque fieri precipuè in Baptismate atque in cœna dominica valebit, quam in suiipsius commemorationē seorsū celebrandā Christus instituit. Ex his quæ hactenus dicta Matth. 23

ſunt,arbitror poſſe Lupum ab oue, &
paſtorem ab impoſtore diſcerni. Nam
ſi Paulus apoſtolus aſſerit,nō eſſe Chri
ſti,qui ſpiritum Chriſti non habeat, ne
Rom.8. ceſſariò ſequitur, qui habeat, membrũ
eſſe corporis ipſius Chriſti, quod ipſius
item ſpiritu ſic vegetetur,vt nihil dicat,
aut faciat,niſi quod idē Chriſtus dicere
ac facere illũ velit. Qui ſpiritu mundano
reguntur mundanam itidem ſequũtur
& ſapientiam,& doctrinam:ſibique
ipſis viuunt,& non Ieſu Chriſto. Paulus
1.Cor.2. apoſtolus non humani, ſed diuini
ſpiritus apportaſſe ſapientiam ſuis Corinthijs
atteſtatur, vt fides & religio
Chriſtiana non hominum ſapientiæ,
ſed potentiæ Dei penitus innitatur. ipſe
etenim Chriſtus Dei ſapientia Eccleſię
ſuę fundamentum eſt,ac tale quidem,
vt præter ipſum nemo poſsit aliud po-
Cap.50. nere. Cui ſi principes inhærebunt, ex
ijs erunt,de quibus Eſaias ait. Ecce tollam
ad genteis manum meam:& ad populos
ſignum meũ erigã:& afferent tibi
filios in gremio:& filię tuæ in humeris
portabun

portabuntur. Et erunt Reges nutricij tui & Reginæ nutrices tuæ. Quibus ex verbis quod præcipuum Christiani Principis officium sit, expresse colligimus, nempe vt superna sapiẽtia & prudentia illustratus, ex animo syncerum Dei veri cultum & erigat, & conseruet erectum. Id quod in ipsius Dei gloriã: Principis autem ac populorum salutẽ omnino cedet. *Præcipuum Christiani Principis officium.*

OMNIA PRINCIPI SApienter ac religiose disponenda: vt suã ditionem ab hostibus tutam reddat.

CAP. XV.



DISPOSITIS rebus, quæ ad veram religionem & incõtaminatum Dei cultum pertinent, commodius multò poterit Princeps, quæ ad stabiliendum hũc suum dominatum faciant, præparare, diuináque sapientia duce non sua tantum cõseruare, sed aliena quoque quo

ties id iure liceat ingeniose ac fortiter inuadere. Quamplurima referuntur in hanc sententiam à sapientissimo Solomone suis in voluminibus, quę inde peti maximo cum fructu valebunt. Nos contenti erimus aliquot hîc huius rei sacris è literis exempla proponere. Vnde sapientiam viribus etiam præstare tam in Principibus, quàm in priuatis
Gen.14. hominibus apertissimè patebit. Abraham, paruis instructis copijs, quinque Regum sapiẽter inuasit, ac deleuit ex-
Cap.30.& 31. ercitum. Iacobus Esau fratris furiosam rabiem sapientissimè datis muneribus vicit. Simul sapiens & animosus ex
Iud.3. titit Aodus Geræ filius qui Eglone Rege clàm interfecto Israeliticũ populũ à
Iud.7. seruitute liberauit. An nõ etiam diuinũ consiliũ Gedeoni reuelatum & sapientẽ illum in seligendis militibus suis, & fortem in superandis hostibus effecit?
Exo.2. Ingeniosa quoque prudẽtia fuit in Mosis matre ad seruãdũ filiũ, vt & in respõso, qđ obstetricẽs Aegyptiæ Pharaoni
Iud.4. dederunt. Ad hæc Deboræ, Barachi, & Iahe

Iahelis egregia facinora nonne indicāt ſapientiam eſſe multò fortitudine potiorem? Quid inexperti milites, quid inſipiens Imperator in pertractandis armis habebunt roboris? quum frequenter accidat vt parua manu ingens in fugā vertatur exercit⁹. Plurimi eſt etiā ſapiētia tā in cōſtruendis, quàm in defendēdis propugnaculis, arcibus, caſtellis, atque alijs id genus bellicis munitionibus: præterquàm quod eadem ſapientia nonnunquam vrbeis etiam ex maximis periculis minimo negocio vindicat. Id quod in Abele oppidi obſidione per ſapientiſsimam mulierem factū fuiſſe compertum eſt. Eodem modo Iudith honeſtiſsima fœmina prudentiſsimo conſilio Betuliam vrbem Holopherne obtruncato ex imminentis ruinæ ſupremo diſcrimine liberauit. Principes ergo Rerúmque publicarum adminiſtratores hac ſuperna ſapientia præditi, quó ſe magis eſſe Deo curæ cognouerint, eò maiorem adhibebunt ipſi curam, vt omnia quæ tam ad populos, quàm ad

2. Reg. 20.

Cap. 13.

loca ſibi ſubiecta tutò conſeruanda neceſſaria ſunt, optimè diſponantur: ne Deũ ipſum videantur, ſpretis eius auxilijs pertentare. Cæterum quanquam non omnino contemnenda ducimus, quæ ab Homero, Platone, Ariſtotele, atque alijs huiuſmodi authorib⁹ in hãc materiem conſcribũtur, Chriſtiano tamen Principi ſacrorum voluminũ authoritas in vniuerſum approbanda eſt. Quamobrem etiam ex ijs proponet ſibi Ioſaphatũ Regem imitandum. qui licet pius eſſet ac ſapiens, Deúmque ſibi ipſi fauere minimè diffideret, nihilominus cuncta, quæ ad regnum tutandum oportuna eſſe iudicauit, ſummo ſtudio comparare non deſtitit. Sic inquam, vt

2. *Para.* 17. de ipſo ſcriptum ſit. Fecit Ioſaphatus præclara opera in vrbibus Iehudæ: & habuit milites fortiſsimos, heroas in Ieruſalem. Et quæ in eandem ſententiam permulta inbi recitantur. Dauidẽ quoque ſanctiſsimum Regẽ ſibi ob oculos ponet: qui quãuis vni Deo ſuis in grauiſſimis afflictionibus inhæreret, non pro-

pterea tamen cessauit egregios Duces robustissimámq; militiã sibi ascribere, quò validius defendere suam ditionẽ hostibúsque inferret acrius ad iussa diuina bellum. Nã quũ nobis incerta sint & pacis & bellorũ tẽpora, necesse est vt semper ad manũ sint parata quæcũque ad vtriusque temporis oportunitatem faciant. Porrò quamplurimis alijs, qui poterant hîc recenseri, prætermissis ducibus eximiísque viris, ad ipsum Iosaphatum reuertamur, vt viuum exemplũ inde & fortitudinis, & fidei sibi sumant principes. Is nanque quum Moabitę atque Ammonitę simul innumerabilibus copijs inuaderent eius regnum, primò sese cum vniuerso populo supplex ante Deum prostrauit, humillimísque precibus eidem causam hanc bellicam certas patriæ ruinas minitantem cum fiducia commendauit: deinde suis itidem copijs quàm optimè potuit, instructis, factus hostibus obuiam signa collaturus erat, exercitu prius adhortato, vt ingentem illam multitudinẽ non

2. Para. 20

timerent, sed vni tantum Deo victoriæ authori ex animo fiderēt. Verum vt ac cessit, comperit hosteis mutuis vulneribus seipsos confecisse. Iam quis non laudet etiam Iosephi sapientissimum consilium? qui septem annis penuria laborātibus Aegyptijs tam prudenter succurrerit? Sed enim esto, non sint nostra tēpestate Duces, Principes, ac Reges Hotnieli, Gedeoni, Dauidi, Iosaphato, piisque alijs ac religiosis veteribus, qui populis potius quàm sibi viuebāt, similes: At saltem antiquorum partim Græcorum, partim Romanorum & Regum, & Imperatorum qui patriæ salutem suis commodis prætulere, ciuilis prudētiæ vestigia sectarentur: nec dominādi tantum libidine arderēt, nec aliena quo iure quáque iniuria inuaderent, nec denique tyrannidem in suos exercerent: vt non paucos nunc facere cōspicimus & experimur: vt interim nihil dicam de nonnullorum deliciosa, vitiosáque vita: quos tantum abest, vt Codros, Epaminundas, Brutos, Decios, aliósque


Gen. 41.

quam

quàmplurimos & pietate & prudentia & fortitudine præstantissimos viros æmulétur,quũ potius vt Sardanapali q̃ Catones haberi malint. Verùm his hîc prętermissis,ad institutum redeo.Postcaquã Principes quæ supra dicta sunt, per seriem disposuerint omnia,reliquũ ipsis est,vt cum pluribus alijs Principibus ac rebuspublicis inire quærant certa fœdera,vnde militeis auxiliares, comeatuum copiam, itinerum commoditatem pro tempore facilius nanciscantur.Quod si tanta omnino Principum aliquorum animos bellandi cupido incesserit, vt ab armis abstinere non valeant, in Turcas potius iniustè regiones Christianorum detinenteis ferantur: Expeditionéque huiusmodi suam industriam,suásque vireis ostentent,

PRINCIPEM DEBERE *iudices ac ministros ad sacræ scripturæ præscriptum ordinare: vt ex optima illorum administratione sibi gloriam paret: simúlque pastorum: qui suis præsunt Ecclesijs, curam habere.*

CAP. XVI.



VONIAM vbiq; locorum inter mortaleis frequenter exoriuntur iurgia, contẽtiones, rixæ, lites, homicidia, & eiusdem generis alia permulta delicta, tum ciuili, tum criminali iudicio pertractanda, neq; Princeps per se potest hæc omnia præsens expedire, singulis in vrbibus, ditionísque suæ locis alijs ordinarios constituet magistratus, illis ornatos dotibus, quibus eos esse præditos debere diuinæ requirunt literæ. Propterea quod quicquid ex ipsorum magistratuũ administratione vel bona, laudis, vel mala,

la, vituperij resultat, id fermè totum ad Principem, tanquam ad caput, referri solet. In iudicibus igitur cæterisque Ministris præficiendis ipse Princeps nullam poterit meliorẽ formam sequi, præ ea quã Ietro Mosi genero suo aliâs tradidit. Nam seliges, inquit, ex omni populo Viros forteis, timentes Deum, Veraceis, auaritiam odio prosequẽteis, instituesque illos, vt iudicent populum omni tempore. Omnem vero rem grauem, quæ inciderit, ad te referent: res autem paruas iudicent ipsi. Moses itaq; consilio soceri prudentis obsequens, conuocata ad concionem multitudine collegas ad politicam administrationẽ sibi asciturus, ait: Adhibete ex vobis sapienteis, prudenteis, & spectatæ integritatis Viros, secundum tribus vestras, móxque iudicibus constitutis inquit: Audite causas inter fratres vestros, & iudicate iustè inter virum & fratrem eius, & inter peregrinũ eius: nõ agnoscetis facies in iudicio: vt paruum sic magnũ audiatis, nec cuenquã mortalẽ for-

Exo.18.

Boni Iudicis partes.

midetis:Iudicium enim hoc Dei est.omnem vero causam difficilem ad me referatis,quam ego audiam.Ideoq; Princeps non grauabitur maximi momenti causas,puta religionis, homicidiorum, Viduarũ,item orphanorum,ac peregrinorũ quos peculiariter illi Deus cõmendat,ad se vocare: vocatas examinare,examinatas rectissime cum clementia expedire.Idẽ efficiant & ipsius iudices in causis ad seipsos attinentibus, vt æquissimè cuncta regantur.Super omnia vero qui Magistratibus præsunt,auaritiã detestantur,ne dum per hanc ꝓpriç tantũ vtilitati suisque cõmodis inseruiũt,& sibi tandẽ,& subiectis grauiter noceãt:Cuius rei manifestissimũ e-
1.Reg.8. xemplũ Ioel nobis & Abia Samuelis filij iudicesq; Israëlis exhibẽt sua rapacitate:quippe q̃ sibiipsis adeò per hãc obfuere,vt populi tandẽ excitata seditione,numeris functione sũma cũ ignominia priuati fuerint. Ergo prudẽter admonet Aristot. in Politicis, cauendũ in primis esse,ne ex Magistratibus lucra proue-

Arist. cõsiliũ in eligẽdis Magistratibus.

prouenianc ijs, qui eos gerunt, alioqui geminũ malũ & incõmodũ tunc ſequi: primũ fiũt auariſsimi, & corruptiſsimi, deinde populus duplici diſcruciatur moleſtia. & T. Veſpaſianus Imperator ſuarũ virtutũ laudem imminuit hac in parte ꝙ rapaciſsimos (quoſq; ſummis præficere magiſtratibus conſueuerat, vt ipſis tanquã ſpongijs vteretur. Contra verò Ioſaphatus Rex Moſen excellentiſsimũ Ducẽ ſecutus, prępoſitos Regioni ſuæ Magiſtratusità monuit. Diſpicite quid agatis, non enim homini iudicabitis, ſed Domino: qui vobiſcum eſt in cauſis, quas iudicatis. Sit ergo metus Domini vobiſcum: Cauti ſitis, & ſatagite, quoniam non eſt vlla peruerſitas apud Dominum Deum, vt vel perſonas accipiat, vel munera ſuſcipiat. Neque mundanæ tantum, ſed ſpiritualis quoque politiæ Princeps rationem habere debet. Vt quemadmodum idẽ Ioſaphatus Leuitis & ſacerdotibus indixit, inquiẽs: Sic agetis in timore Domini in fide & corde perfecto: Et omnem

2. Paral. 19

causam,quę venerit ad vos de fratribus vestris,qui habitant in vrbibus suis inter sanguinem & sanguinem,inter legẽ & præceptum,statuta & iudicia:Admonebitisque eos,& non delinquent contra Dominum:neque erit ira super vos & super fratres vestros. Sic facietis, & nõ delinquetis.Ità & Christianus Princeps ecclesiasticię politæ Ministros vrgere debet,vt suas parteis exequantur, & quod ad sanam doctrinam, & quod ad integram vitam attinet:quò deinde fiat vt Principibus ac Ministris idem sentientibus,atque idem pręstantibus, pacificè populi ac iustè & piè in Dei cultu regantur. Quamobrem vt expeditius ecclesiastici pastores iniunctis valeant officijs incumbere,curabunt Principes honesta commodaquę stipendia illis exhiberi,quum etiam sacræ literæ affirment dignum esse operarium mercede sua:neque alligandum esse os boui trituranti. Nam veteres quoque Principes ethnicos idem suis cum sacerdotibus fecisse notius est,quàm vt hîc re-

Principib. ecclesiarũ Pastores præcipue curandos esse.

Matth.10.

Deut.18.& 25.

Prim. Cor9

ferri debeat. Id quod vel ex Genesis quadragesimo septimo Capite comprobatur: Vbi legimus Pharaonem non permisisse Iosepho agros Aegyptiorum penuria laborantium regio nomine cœmenti, vt sacerdotum bona simul emeret: ne constituto sibiipsis ab Rege demenso priuarentur.

PER PRINCIPES

vera sapientia præditos optima suis in prouincijs esse Gymnasia constituenda, in quib' omnis generis bonarũ literarũ Professores existãt, qui etiã honorificè ab ipsis Principibus tractentur: neè scientiarũ ignoratione peccetur.

CAP. XVII.



VT sapiens Rex populos, ita bene doctus præceptor discipulos rectè instituit. Principes igitur ac respublicæ curam omnem adhibeant, vt suis in ditionibus Gymnasia

diſponantur: quibus excellentiſsimi Doctores præſint, Qui tum linguas latinam, græcã & hæbræam, tum liberaleis diſciplinas omneis & publicè & priuatim profiteantur. Adſint & eruditi, pijque Theologi, qui diuinis voluminibus fideliter interpretandis inuigilent: vt ne qui ſunt optimo ingenio torpeſcant ignorantia. Nam vt Religiones, ità & Reſpublicæ ſine huiuſmodi Magiſtris conſiſtere vix poſſunt. Scholarũ exercitia tam apud Iudæos, quã apud alias genteis antiquitus floruiſſe cõſtat.
1. Reg. 6. Aegyptij, Palæſtinique Sacerdotũ habebant Collegia, vnde dubijs in rebus cõſilia peterẽt: vt ſexto capitè Samuelis habetur. Ioſephus in libro de antiquitati bus aſſerit Abrahamũ extitiſſe primũ qui Arithmeticã atque Aſtrologiã Aegyptios docuerit. Nã ànte aduentũ Abrahami in Aegyptũ, hęc Aegyptij penitus ignorabant. Chaldæos quoque ſua Gymnaſia, ſuosque doctores Principibus acceptiſsimos habuiſſe cõpertũ eſt. Daniel itẽ Cap. primo inquit. Rex præcepit Aſpenam magiſtro palatij, vt

ex Iſraëlitis & de genere regio,& optimatũ pueros omni vitio carenteis, & formoſos introduceret:pueros inquam intelligenteis in omni ſapientia,& peritos ſcientiarũ, & tenenteis artiũ principia:qui facultatem haberent in palatio regio miniſtrandi,quos doceret literas,& linguam Chaldęorum: illiſque Rex quotidianum victum conſtituit de cibo regio, & de vino, quod ipſius cõuiuijs adhibebatur. Apud Perſas Magi,apud Indos Gymnoſophiſtę ſummo in precio ſunt habiti,Strabo ſua in Geographia,Heliopoli domos amplas vidimus,inquit,in q̃bus ſacerdotes habitabant. Imo dicũt hãc olĩ ſacerdotũ habitationẽ fuiſſe hominũ philoſophiæ& Aſtronomię deditorũ.Nũc is ordo & hoc ſtudiũ defecit.Et q̃ ſequũtur. Leuitas Phyſicarũ artiũ peritos extitiſſe q̃s dubitet?cũ videat illos curabiliũ & incurabiliũ leprarũ genera ſciſſe exactè diſcernere?Peculiares ijs Vrbes Decimæque prouentuũ aſsignabantur,vt literarum ſtudijs liberius vacare poſſent. Nulla peſtis grauior eſt Regnis, rebuſque

Lib.7.

Luc.13.

publicis, quàm ignorantia. Nam quũ in populos hæc dominantur, animos hominum furore sic interdum exagitat, vt rationi penitus vale dicant: Nihil pacta, conuentiones aut leges curat, suo tantũ fertur arbitrio, benegerẽdarũ rerũ inscia atque ignara. Conqueruntur hinc Moses & Esaias de populi ignorantia. Quoniam Gens est, inquit Moses, quę perdidit consilia, neque est eis intelligentia aliqua. O si saperent intelligerentque hoc, expenderéntque quid tandem futurum sit ipsis. Esaias autem ait, Ideo in captiuitatem abit populus meus, quod scientiam nullam habet. Pessimè agitur cum illa natione, quæ auaritiam ac ventrem loco sibi Deorũ constituit. At multò peius cum ea quæ suos filios bonis & moribus & literis instituí negligit. Respublicas græcas curasse diligenter, vt quãoptimè erudirẽtur liberi notissimũest. Ad veritatẽ itaq; sibi persuadeãt docti viri ad disciplinæ ꝑfectionẽ duo potissimũ reqri: quẽadmodũ Ioseph⁹ annotauit aduersus Ap

Imperitia quid efficere consueuerit.

Deut.32.

Cap.5.

Lib.2.ca.6

pionem

pionē dicēs: Duo siqdē sunt totiùs disciplinę & moralis institutiōis modi quorū vnus quidē sermone doctor est: alter verò exercitatiōe morū. Quę quū ita sint, quidā legislatores sentiendi sunt discreti, quòd alterum horum modorum sibi placitum assumentes, alterum reliquerunt. Sicuti Lacedæmonij quidē & Cretes moribus erudiebantur, non verbis. Athenienses verò & penè omnes alij Græci quæ quidem oportet agi, præcipiebant suis legibus. Noster autem Legislator hæc ambo multa diligētia coaptauit: Iussítque filios literis erudiri ꝑpter leges, & nosse progenitorū actiones, vt imitentur: & quum legibus educati sint, neque transgrediantur, neque cogitationem ignorationis habere iudicentur. In hunc igitur finem Principes ac Respublicæ Gymnasiorum exercitia collocēt, vt inde discant homines, & quæ fugere & quæ sequi debeant, non tantum è ciuilis, verum etiam ex ecclesiasticæ legis, diuinæque præscripto. Quod vt commodiùs fieri posset, Euse-

In quem finem collocāda sint gymnasia.

In Cod. lib. 11. Tit. 18. bius Cæsariensis refert antiquos Imperatores & salarijs, & immunitatibus quamplurimis eos donasse, qui nauiter incumberẽt in hæc studia. Quos Imperatores si nostri Principes æmulabuntur, non paruam suis prouincijs gloriã è sapientibus viris acquirent.

QVANTVM REFERAT *& ad Regna & ad Respublicas conseruandas optimos habere Consiliarios in humanorum negociorum quouis genere versatos: Quibus tamen vt non nimium concedendum, sic non omnia, quæ designantur, concredenda sunt.*

CAP. XVIII.

CONSVEVERunt peritiores Architecti sublimioribus colũnis firmas baseis solidásq; subijcere, vt ingentium ædificiorum grauia pondera sufferre valeant

valeant. Quũ igitur nulli magis quàm Principes, vrbiúmq; rectores inter mortaleis emineant, oneráque maiora sustineant, æquum est, optimos illis Consiliarios adhiberi, quibus haud aliter quã stabili fundaméto nitãtur, causásque tã ad Regnũ quã ad religioné pertinéteis æquissimè disponãt. Seligédi auté erunt ad id officij varijs è nationibus viri sapientes & cordati, & qui in omni negociorum genere versati sint: vt omnibus, quę incidét, rebus præsto esse & cõsilio, & auxilio valeãt. Hominum mores norint, quibus cum aut ineunda pax, aut bellum gerendũ sit: quæ loca syluestriáne an domestica inhabitét, quibus victitent cibis: & quo pacto possint in fœdus ac societaté commodũ trahi. Præterea Iurisperitos, Rhetores, Dialecticos, Arithmeticos, Architectos omnísque generis artifices curabũt Principes & Respublicæ suis in Ditionibus esse frequenteis: Quoniam horum omniũ opera sæpius in pertractandis ad imperium facientibus negocijs opus habét.

Quales esse Consiliarij debeant.

Et

Et quanuis eorum aliqui nonnunquã humilioris conditionis existant, non tamen dedignabitur Princeps ipsos, quoties necessitas postulabit, consulere: illísque animum præbere, vt quod sentiunt, liberè loquantur: ne forte timore præpediti, consilium aliquod optimum aliquando reticeant. Per os enim pecorum pastoris Amos, immo & per asinæ Balaami loquitur interdum Deus. Ciuitatum itẽ senatus idem efficient. Nã cùm hominum opiniones non minus quàm eorum facies diuersæ sint, fieri potest, vt ex variarum collatione sentẽtiarum oportunum aliquod emergat consilium. Alios etenim melius quàm nosipsos contemplamur. Isocrates monuit suum Regem, quales esse debeant consiliarij, sic inquiens: Fidos existima, non qui, quicquid dixeris, fecerísue laudant: sed qui errantem increpant. Permitte prudentibus liberè loquendi facultatem, vt si quid extiterit, de quo ambigas, habeas cum quibus rem expendere possis. Qui tibi arte adulantur di-

ſcerne ab ijs qui te cũ beneuolentia colũt,ne potior ſit malorũ,quàm bonorũ cõditio. Auſculta quæ loquũtur aliꝰ viciſsim de alio, dans operam,vt noris,& qui ſint,qui loquuntur:& de quibus loquuntur. Inſuper obſeruabit Princeps ne ſuas res omneis cum omnibus conſiliarijs communicet: ſed pro rerum ipſarum qualitate hanc vni , alteram alteri concredat: præſertim verò qui ſecreta ſeruare norint. Sapiens nanque ait: Ne aperias conſilium tuum cuiuis homini: Ne cum fatuis cõſilium habeas: Fac vt beneuolos habeas multos: At vnum de mille conſiliarium. Initium omnis operis ſit ratio: & conſiliũ præcedat omne negocium. Non erunt igitur tam principes quàm cõſiliarij decernendis in rebus præcipites:verum ſi tẽporis adſit cõmoditas,res ipſas determinare aliquantulum differãt;quod frequẽter eueniat vt cũ tẽpore noua iudicia,nouíque diſcurſus exoriãtur. In primis autem ſeſe princeps ad Deũ cõuertat, obnixis precibus ab illo petẽs,vt nõ niſi q̃d ipſi pla-

Temporis in conſulendo obſeruanda comoditas.

ceat,fieri permittat.Hîc imitetur(vt veteris Romanos, genteisque alias præterea,qui sua numina difficilibus in rebus cōsultabāt) imitetur inquā Israeliticos Reges pios quidē illos ac sanctos, q priusquā alicuius momēti quicquā decernerent,oraculū diuinū adire consueuerāt, vt ad eius responsum oīa peragerēt. Ecclesiasticus omneis adhortatur, vt ne qd incōsultè faciāt,ne facti eos pœniteat.Neq; vnquā adhibeāt Principes & magistratus in cōsiliū adulatores,ambitiosos, inuidos, aut eos, q̃ vt vitijs faueāt,qui tollēdi è republica sint. Proin-
Cap.37. de idē Ecclesiastic⁹ ait: Ne consultes cū eo,cui suspectus es:nec inuidētibus tibi consiliū aperias. Omnis cōsiliarius extollit consiliū suū: sed sunt qui suā in rē cōsulant.Caue tibi ipsi à Cōsiliario: & cuius indigeat ipse rei pri⁹ cogita:Nam ipse sibi cōsulet,ne quā obuentionē omi netur tibi,rectúmque dicat esse tuū institutū, atque interim ex aduerso spe-
Cum quibus non cōsultādum. ctatorē euētus tui se cōstituat.Ne cōsultes de religione cū irreligioso:de iustitia cum

cũ iniuſto, cũ muliere de pellice ipſius, de bello cũ meticuloſo, de permutatiõe cũ mercatore, de venditione cũ emptore, de gratulatione cum inuido, de humanitate cũ immani, cũ pigro de quouis opere, cũ annuo mercenario de consummatione, cum ſeruo ignauo de opere multo, cũ his inquam ne qua cõſilia conſocies: SED FREQVENTES VIRVM PIVM QVEM NORIS OBSERVANTEM PRAECEPTORVM DOMINI: Cuius ad ingenium tuus accedat animus, & quem, ſi lapſus fueris, tui cõmiſereſcat. Cæterũ ſuper his omnib⁹ inuoca Altiſsimum, vt inſtituta tua dirigat fideliter. Porrò q̃a principũ nõ eſt præcipuũ munus theſauros iniuſtè à populis extortos reponere, ſed potius ipſos populos grauaminib⁹ exonerare, quę pauperes opprimũt, impingũt diuites, adſciſcant ſibi Conſiliarios ipſi Principes, quorum admonitione ſuperfluos ab Aula ſumptus & curarũ inhoneſtatẽ amouere, victúmque decentẽ introducere ſtudeant. Ad hæc tales ſint

Consiliarij, vt in Principum ac populorum dissidijs componere potius res cōtrouersas quàm bella nutrire quærāt. Ad nullam prouinciam, quam perficere posse non sperent, apponāt manum: sed Christi Iesu sibi proponant admonitionem, qui ait: Quis est ex vobis, qui velit turrim ædificare, quin prius sedēs computet sumptus, an habeat, quibus opus est, ad perficiendum? nę postquā posuerit fundamentum, nec potuerit perficere: omnes, qui viderint, incipiāt illudere ei, dicentes: Hic homo cœpit ædificare, & non potuit consummare; Aut quis Rex proficiscens, vt committat prælium aduersus alterum Regem nonne sedens prius deliberat, an possit cum decem millibus occurrere ei, qui cum viginti millibus venit contra se? Alioqui adhuc illo longe agente, legatione missa, petit ea, quæ pacis sunt. Quid? An non & M. Tullius licet Ethnicus in suis officijs rectè monuit, inquiens: Omne illud honestū, quod ex animo excelso, magnificóque quærimus, animi effici

Luc.14.

efficitur non corporis viribus. Exercen dum tamen corpus, & ità efficiendũ est vt obedire consilio rationique posśit in exequendis negotijs, & in labore tolerã do. Honestũ autẽ id, quod exquirimus, totum positum est in animi cura & cogitatione. In quo non minorẽ vtilitatẽ afferũt, qui togati reipublicę pręsunt quã qui bellũ gerunt. Itaque eorũ con silio sæpe aut non suscepta bella sunt, aut confecta: nonnunquã etiã illata. Vt M. Catonis cõsilio bellũ punicũ tertiũ, in quo etiã mortui valuit authoritas. Quare expetenda quidẽ magis est discernendi ratio, quã decertãdi fortitudo. Sed cauendũ est, ne id magis fuga bellãdi, quã vtilitatis ratione faciamus. Bellũ autẽ ità suscipiatur, vt nihil aliud quã pax quæsita videatur. Fortis autẽ animi & constantis est, non perturbari in rebus asperis, nec tumultuãtẽ de gradu deijci, vt dicitur: sed præsentis animi vti cõsilio, nec à ratione discedere. Quã q̃ hoc animi, illud etiã ingenij magni est percipere cogitatione futura: & aliquã

to ante cõſtituere quid accidere poſsit in vtrãq; partẽ,& quid agendũ ſit, quũ quid euenerit:nec committere aliquid vt aliquando dicendũ ſit:Non putaram. Hæc ſunt opera magni animi,&excelſi,& prudentiæ conſilioque fidentis.

Cedãt arma togæ,cõcedãt laurea linguę. Vt itaq; per prudẽteis &experiẽtes Viros bella,quoties op⁹eſt,oportunè geruntur:Ità ꝑ eoſdẽ ſæpiſsimè pax viget: Quũ ex oppoſito ꝑ imprudẽtes & inexpertos etiã trãquilla omnia diſturbẽtur.

Non eſſe nimiũ Conſiliariis tribuendum.

Ad illud inſuꝑ aduertat animũ Princeps,vt ne ſuis Cũſiliarijs nimiũ, tribuens, adeo illos audaceis efficiat, vt ſua ipſius bonitate demũ abutãtur,atq; ſuarũ hãc faciãt ꝑtextũ rapinarũ. Etenim ſunt ex ijs,q cũ Principẽ nihil aliud quã quod ipſi cõſulant,agere cõſpexerint,ꝑ hãc occaſionẽ nõ iam Principi, ſed ſibiipſis cõſulant:nec publicæ vtilitati, ſed propriè auaritiæ ſeruiãt. Inde fit,vt bonis alienis inhiantes,vndecũq; ſibi diuitias corradere ſtudeãt,etiã per eorundẽ bonorũ iniuſtã confiſcationẽ, ad quam quocunq; titulo cõficiendã Principẽ in-

duxerint, vt rapacissimè postmodũ bona ipsa ab eodẽ impetrẽt. vt interim omittã plureis alias rationes iniquas quidẽ illas, per quas eodẽ peruenire sine intermissione conãtur. Hinc populorũ exaudiuntur querelę, quę in ipsius Principis dedecus omninò cedant: nonnunquam etiã in ruinã: vt in Sergio Galba videre est. Cuius tamẽ rei Principes ipsi nullã aliã culpã habẽt, nisi quod suis cõsiliarijs nimiũ fisi sunt. Qđ si semp suspensos illos habebũt, quã eorũ consultationẽ sequi velint, efficiẽt sanè, vt quotidie meliora cõsilia excogitare ac ꝓbere nitãtur. In religionis aũt causa Princeps potissimũ diuina cõsulet scripta, neq; eos cõsultores admittet, quorũ interest nullã fieri religionis ipsius instaurationẽ. Hi nãq; quũ hac in parte velut amphibia sint animãtia, aut muti erũt, aut nihil boni cõsulẽt: vt de viro quodã docto nostra memoria refertur: qui pãratis iam alis, vt in cœlũ volaret, crumena põderosi auri plena de collo pẽdente detractꝰ est ad inferos. Nouerint cũ Principes, tùm Respublicæ durũ asperũque

flagellum suis regionibus imminere, quoties auaros, inuidos, fastuosos, mendaceis alijsque omnibus vitijs inquinatos consiliatores habuerint, pręcipuè vero qui tales existant, vt falsis ac superstitiosis cultibus religionis faueant; Veris autem & cultibus & doctrinis aduersentur. Atque hæc ipsa flagellorum inflictio frequenter à Principum Domibus incipiens in populos deriuat: illosque miserrimè aut bellis, aut fame, aut peste, vt cũ populo Israëlitico fecit, infestat. O prouinciæ, resq; publicę infeliceis in quibus Achitopheles, Giges & Glauci Cõsultorũ funguntur officio. Nę vobis quæso tales contingat, quales ij fuere, qui Hannoni Regi consuluerũt, vt contra ius gentiũ Dauidis Regis legatos, tanquã Exploratores, afficeret ignominia, Vnde bellũ ingens ac perniciosũm postea exortũ est. Nulli Principi Consiliatores eiusmodi obueniant aduersus profugos ob Euangeliũ Christianos, qualis apud Regẽ Assuerũ contra Mardocheum inuidus extitit A-

Pla. 2. de Repub.

2. Reg. 20.

Hest. 2. & 3

man

man. Auertat, quę sua est clementia, Deus à quouis dominatu, ne illius Principes approbent insolentiū iuuenū stulta consilia, quemadmodū Solomonis filius Roboam Rex in suā perniciē fecit. *2.Reg.12.* Non permittat idē, obsecro, Deus aurē *2.Paral.13* Principes adhibere, Consiliarijs illis, qui persequendo Euangeliū profitenteis ipsis iniquè suggerunt: vt cū Sedechia Rege factū est: qui Ieremiam sanctissimū prophetam ob id in squalidissimū carcerē coniecit. *Ierem.38.* Hîc denique considerent & reges & reliqui magistratus omneis inuidiā sępe ac in maleuolētiā sic esse consilijs coniunctā, vt immoderatæ suæ libidini potius quàm rationi satisfacere Consultores quærant: id quod in Danielis prophetę causa deprehendi facilè potest. *Daniel 6.* Nam qui Regē Nabuchodonozorē consulebant, non Regis Regnive Salutis vllā rationem habebāt, sed suis tantū inuidis, malignisque cupiditatibus, eo sublato, factū volebant satis. Verū Deus, qui suos nō deserit, pręsertim innocenteis, vt adfuit

præſens Danieli,ſic prauos Conſiliarios meritis afficiendos pœnis curauit.

QVAM MAXIMAM ESSE *Principi diligentiam adhibendam, vt Oratores idoneis conditionibus præditos eligat. Et quanta ipſorum Oratorum habenda ſit ratio.*

CAPVT. XIX.



Vperioribus capitibus, Illuſtriſsime Princeps, vel pro parte ſaltem indicaui,quibus, & quàm varijs pulchriſque conditionibus inclytum & glorioſum Principẽ exornatum eſſe deceat:& quàm ſingularem is curam adhibere debeat, vt in ſua ditione Magiſtratus & reliquos per ſeriem ordinet Adminiſtros, qui velut à Capite pendentia membra ſemper illi prçſto adſint,& in negotijs omnibus pertractandis,rebuſque peragendis eidem

dem subseruiant. Nunc reliquum esse videtur, vt ad hoc ipsum corpus perficiendum suos illi tribuamus & Oratores & Legatos: Quorum opera Princeps vtitur, quoties illi cum Principibus aliis, rebusvepublicis de bello, de pace, de societate, seu fœdere, de inducijs, de conuentionibus, de cōmeatibus, & sexcentis huiusmodi rebus alijs, agendum est. Quales igitur Horum quoque conditiones ac partes esse debeant, quā breuissimè potero iam in medium proferam. Potissimum verò tria nobis hic exponenda suscipimus. Quorum primum est, quanta cura, diligentiaque Princeps in eligendis Oratoribus vti debeat. Alterum, quàm & liberalium artium & linguarum cognitione, quamque ingenuis moribus, heroicisque virtutibus exornatum esse oratorem oporteat. Tertium, tantam oratorum ipsorum habendam esse rationem apud omneis, vt à nemine vno lædendi sint. Quum itaque Principi pluribus de causis ac legitimis quidem illis ad

alienas conferre ſeſe prouincias neque tutum, neque integrũ ſit, neceſſe eſt, vt alijs hominibus vtatur internuncijs qui ſui animi ſecreta, ſuamque intentionẽ illis indicent, quibus cum ipſi aliquid agendũ eſt. Quamobrẽ maturo conſilio ſunt eligendi, qui præficiantur huiuſcemodi officio: quod quidẽ certe cõtinet in ſe ipſorũ Principis ipſius gloriã, tũ Prouinciç conſeruationẽ, tum deniquc prouincialiũ omniũ ſalutẽ. Eligat igitur Princeps eũ, qui ſuã ipſius perſonã virtutibus referre valeat: Nam aliũ vnde huic aduentitia bona, vt puta ſtatura corporis elegãs & procera, ſanguinis nobilitas, officioſum obſequiũ aulç præſtitũ diu, parũ habẽt momẽti, vt ſatiſfaciat orator delegatæ prouinciæ, niſi ſpectata comes adſit virtus. Quod ſi cui perpeſſorũ aute laborũ ac vigiliarũ longeque ſeruitutis merces eſt à principe rependẽda, muneribus alijs, quç minus in ſe, quã legationes, periculorũ habeãt: reddẽda erit. Viros itaq; taleis ad hancè legatinnis Prouinciã ſibi requirãt Principes

Quales eligendi ſunt a Principe legati.

cipes

cipes,qui quæ ſunt illis demãdata nego cia cũ Imperatoribus,Regibus,aliiſque Principibus ꝑtractãda, dignè glorioséque perficiant,& exequantur.Inter eas autem cõditiones,quas & habere,ſempérque ſecum ferre debet orator , illa videtur eſſe præcipua , vt illibatam ſuo Principi ſeruet fidem : quam ſyncerus in eundem amor proſequatur. Etenim fides illi tanquam anchora exiſtet , per quam ſtabilis factus , nullos aduerſantiũ ventorum flatus extimeſcet , nulla proſperiore aura cõmouebitur. Amor autem efficiet , vt quẽ maximè diligat, minimè velit offendere : quin potius in illius gratiam , quàm optimè facere omnia ſummoperè ſtudebit: nihilque aliud magis quàm eius gloriam promotã curabit. Hæc porrò præſtabit fidelitas,vt nullo precio , nullis donis corrũpi ſe ſinat Orator,vt C.Fabricius nobis exemplo eſt: qui ad Pirrhũ Regem miſſus à Romano Senatu,Regis ipſius nec minis , nec prece , nec precio potuit ab honeſto dimoueri. Qua in re præferen-

Quæ partes ipſorum Legatorum eſſe debeant.

dus omnino Demostheni est, qui suam eloquentiam in incommodum patriæ venalem habuit. Procul ergo sit Oratoris animus ab auaritia, ne per hanc cæteras suas virtutes, ac præcipuè liberalitatē cōtaminet. Nā per ipsam liberalitatē non modo aliūde oblata contemnet, sed sua magis in alios alacri vultu distribuet, vt maiorem inde sibi populorū beneuolentiā publicè priuatímque paret, id quod in liberis rebuspublicis fieri sanè commodius potest. Ad Oratorē spectat insuper; vt lōga rerū experientia sagax, cautus circunspectúsque sit, vt ne amphibologicis, cauillosísque sermonibus circūuentus in aliquē labyrinthum incidat, vnde illi postea non sine damno ignominiáque exire liceat. Id incōmodi Q. Mutius Sceuola prudenter euitauit quum Carthaginenses ad quos missus fuerat à Romanis Legatus, duas illi tesselas obtulére, in quarum altera pacis, in altera verò belli signū inscriptū erat. optionéq; dederūt, vt vtram mallet, eligeret. Is ambab⁹ acceptis illico subintulit: eadē vobis Carthaginēses optio da-

tur, vtrã mauultis habetote. Sic dignitatẽ suæ reipublicæ, quã imminuere Carthaginẽses astu voluerãt, singulari prudẽtia conseruauit intactã. Illud quoque Gn. Põpilij cõsiliũ aduersꝰ Antiochum Regẽ qs nõ fateatur prudẽtissimũ extitisse? Nã & is, quũ Legatꝰ in Syriã profectꝰ esset, Regíq; Senatus Romani mãdata retulisset, cõfestim designato circulo dixit. Hinc tibi Rex exire, nisi priꝰ mihi respõderis nõ licet. Hac igitur importuna quidẽ illa, sed sapientissima tñ (vt ita dicã) coactione Regẽ impulit, vt ad Romani Senatꝰ petitionẽ ac voluntatẽ se nõ amplius infestaturũ bello Ptolomæũ Aegypti Regẽ polliceretur: qđ nisi calliditate huiusmodi fuisset vsus Orator, circũueniri facilè potuisset à Rege lõgis ambagibus. Eligãt itaq; Principes ad legationis munus (vt idem sæpius repetam) Viros doctrina, ingenij promptitudine, sapientia, iudicio, probitatéque præstanteis, quíque, si fieri potest, varias diuersarum gentiũ linguas calleant: quibus dotibus esse refertos (absit adulatio atque inuidia verbo)

te Princeps optime, illustrissimúmque Cugnetum apud Rhætos alterum, alterum apud Heluetios Gallorum Regis nomine Oratorum officio dignissimè fungenteis, nemo non nouit. At enim quod ad linguarū peritiam attinet, præterquam quod interpretum, qui non omnia rectè semper aut assequuntur, aut exponunt, euitantur incommoda, si per se potest Orator sui Principis explicare mandatá: nonnunquam euenit aliquid Oratorem ipsum audire, quod scire scribas etiam suos minimè iudicet expedire, & quo de valeat suum postea Principem facere per sese certiorem: vt interim taceam Oratoris, q̃ Interpretis efficaciorem sermonem esse, atque ad res, de quibus agitur, persuadendas aptiorē. Id q đ in Diogene stoico, & Carneade academico, & Critolao peripatetico, qui ab Athenienfibus ad Senatum populúmque Romanum publici negocij causa Legati fuerant, animaduertere possumus. Nā in eo ipso negocio pertractando tanta facundia, tantáq; pru-

A. Gel. Li. 17. Cap. vlt.

dentia

dentia seorsum vsi sunt, vt audienteis in maximã inducerent admirationẽ. licet nõ min⁹ mirũ id etiã fuerit, q đ Cæcilius Senator vnicuique ipsorũ tã prudenter, tã eruditè, tã accuratè respõdit, vt summa cũ gratia gest⁹ etiã & actiones eorũ inter orandũ exprimeret. Iam nõ & Poëtę nobis Vlyssem, Menelaum, Nestorẽ disertissimos proponũt? ac dulci sermone sæpius impetrare quod petãt? vt vel inde quantũ ad flectẽdos hominũ animos eloquẽtia valeat palã faciant. Quare tria esse, quæ Oratori nostro potissimũ habẽda sint, arbitramur: videlicet vt optimo atq; exactissimo iudicio sit: vt facũdia dicẽdiq; gratia polleat, vt inculpatis ꝓbatisque moribus omnino sit. Vulgo sic dici solet, siquis Principẽ desiderat agnoscere, ipsi⁹ Oratores intueatur, quod aliquam tamen exceptionẽ patitur. Interdum enim videmus ipsos Principes esse ignauos, imperitos, osoresque virtutũ omniũ: è regione verò suos Oratores viros esse strenuos, eruditos, amanteisque virtutum omnium

Quæ Legato potissimũ conueniant.

omniū. Apud Antiquos qui pacis causa mittebantur legati, Caduceatores: Qui verò belli, feciales vocabātur. Caduceatores autē quod ad ipsos attinet, propterea dicti sunt, ꝗ Caduceo, quę Mercurij virga erat, ad dirimenda dissidia vterētur. Quibus nocere nemini vni mortaliū fas erat. Fecialiū porrò ꝑtes vt Fenestella tradidit, in eo versabantur apud Romanos, vt fidei publicæ inter populos pręessent: Neque iustū aliquod bellum fore cēsebatur, nisi id per Feciales fuisset indictum. Quæ quidē omnia non paruum in dedecus eorum Principum ac rerumpublicarum cedunt, qui sibi ipsis licere putant Oratores aliunde missos non admittere, nisi eosdē ipsi suo arbitratu elegerint, aut petierint. Id sanè verum est, colendissime Princeps, cū, qui sit Oratores missurus; taleis debere mittere, qui, quoad eius fieri possit, acceptissimi sint illis, ad quos legantur: quemadmodum tibi apud magnificos & excelsos trium Rhætorum fœderum Dominos esse, qui Dei benignitas

est,

eſt,cõtigit. Xenocratẽ apud Antipatrũ maiorem quã cæteros Athenienſiũ Oratores gratiã inueniſſe fama eſt, ità vt per illũ quos Rex penes ſe captiuos habebat gratis etiã reſtituerit. Illud hîc obiter admonendi ſunt ij, ad quos miſsi fuerĩt Oratores, vt etiã ſi ex ipſorũ prę ſentia caperẽt aliquid moleſtię, nulla tñ in re quęrãt illis officere. Nã pręterquã ꝙ ſibiipſis pararẽt ignominiã, ſi cõtra ius Gentiũ id efficerẽt, animos inſuper eorũ, qui miſiſſent, in ſeſe nõ immeritò prouocarẽt: Quicquid enim ſuis Oratoribus factũ eſſet iniuriæ, id in ſeipſos redũdare interpretarẽtur: atq; ad vindictã ea de re ſumendã ſe accingerẽt. Cuius quidẽ rei tã in ſacris, quã in profanis hiſtorijs magnã habem⁹ exemplorũ copiã. Mortuo Ammonitarũ Rege, quũ eius fili⁹ Hãnon ei in regno ſucceſsiſſet, 2. Reg. 10.
Dauid vt Hãnoni Nathæ filio pro beneficijs, q̃bus ab illius patre fuerat affect⁹ gratiam referret, miſit ad eum Legatos, qui eum de Patre conſolarentur, Hannon verò, ſuis male conſulentibus

id in ſiniſtram partem accipiens, ipſos legatos ignominioſè habitos dimiſit:id quod non minimum belli ſuſcitauit incendium. Romani quoque licet alioqui clementes eſſent, nihilòſecius tamē quum à Laërte Tolumnio Veientum Rege ſuos oratores Fidenis fuiſſe turpiter interfectos accepiſſent, exercitu comparato non ipſos tantū hoſteis trucidarunt, ſed vrbem prius direptam, mox impoſitis flammis etiam ſuccēderunt. Nomina verò legatorum hæc fuerant, nempe C. Iulius Tullus, Lucius Roſcius, Spurius Naucius, & Caius Fulcinius: Quib' à Romanis in rei memoriam erectæ ſtatuæ, ad Ciceronis vſque tempora, vt contra M. Antonium teſtatur idem ipſe, perſtitere. Corinthū inſuper vrbem à L. Mummio fuiſſe deſtructam Polybius refert, quòd Achæi Romanorum Oratores aduerſus iura Gentium violaſſent. Neque ſibi ſolum illatas iſtiuſmodi iniurias vindicabant Romani, ſed ne ſuos quidem alijs inferre ſuſtinebant: quod in L. Minutio & L. Manl

T. Liu. Lib. 4. 1. Dec.

Manlio cernere possumus: Nam quũ hi duo Carthaginensium Legatos opprimere tentassent, à populo Romano Carthaginem missi sunt, vt de illis Carthaginenses arbitratu suo supplicium sumerent, neque cæterorum ciuium Romanorum consensu fuisse suis illatã vim existimarent. Cęterum & oratores contrà cauere debent, ne Principes aut Populos, ad quos missi sunt, prauis moribus ad iracundiam prouocent, vt ne quod intriuerint, sibiipsis exedendum sit. Ante oculos habeant, quid Persarũ Oratoribus apud Amyntam Macedonum Regem euenerit. Nam cum hos ipsos incontinentissima libidinum omnium mancipia esse Regis filius Alexander obseruasset, illos per occasionẽ interficiendos curauit. Etenim cum eos lautissimo accepisset conuiuio, iuuenes aliquot impuberes forma speciosissima præditos muliebris habitum vestis indutos adesse pariter iussit, pugionesque secum sub ipsa veste latitanteis habere. Sed enim Oratores arbitrantes

huiuſmodi iuuenes puellas eſſe, confe ſtim earum compta atque eleganti pul chritudine capti ſunt. Poſtea verò quã & epulis, & mero plus quam ſatis inca luerunt, Centaurorum more iuuencu-culas ad explendam Venerem pertra-xerunt. At iuuenes tũc eductis pugioni bus illos interfecere. Perſarum autem Rex Megabiſus audita ſuorum legato rum occiſione, Macedonibus bellum parabat inferre. Verum poſtquã occi-ſionis ipſius cauſam intellexit, iure ac meritò exercitum reuocauit. Oratores igitur ijs in locis, vbi ad ſuorum Princi pum peragenda negotia commoran-tur, honeſtam quietamque vitam viuant, ne Principibus ipſis infa-miam, ſibi verò etiam ruinam parent: neve, ſi aliter vixerint, rumpendorum fœderum occaſionem præbeant. Ete-nim altera ex parte Principes videant, ne faciles nimium ſint ad remouendos Oratores ex iis locis, vbi diuturnam illos moram traxiſſe gratioſosque quũ [illegible]

Magiſtra

Magiſtratibus tum populis eſſe cognouerint: Qui nanque ſubſtituuntur Legati, nouicij quum ſint, ob idque adhuc neque Regum, neque Nationum mores exactè caleant, grauiores nonnunquam expenſas faciunt vt hominum ſibi animos concilient. Damni autem huiuſce Princeps ipſe ſibi frequentibus Oratorũ mutationibus cauſa eſt. Neque enim fieri poteſt, vt Imperatorum, ac Principum, populorumque naturæ cognitio breui paretur intuitu: longã opus eſt conſideratione vt horum ingenia dignoſcantur. id quod ex variorum collatione ſermonum, compluribuſque alijs vitę actionibus obſeruatis fieri conſueuit. Maior autem difficultas eſt hoc idem efficere, vbi ſunt plures, qui reipublicæ præſint: Nam ferè fit, vt quot ſint capita (quod aiunt) tot ſint ſententię. Quamobrem diligens adhibenda eſt cura, vt quorſum vniuſcuiuſque natura propendeat, exploretur: quò ſingulorum beneuolentia

quiri valeat: Quod vnum maximè omnium expetendum ijs esse videtur, qui cum Principibus aut Rebuspublicis habent pertractare negocia. Illud postremo summopere vitent Oratores, ne ijs, apud quos agunt, aut adulationis, aut mendacij, aut alicuius machinationis crimine notandi sint. Omnino satis eisdem ipsis id sit, vt quæ ad sui Principis conseruandam gloriam faciant, fideliter omnia strenuéque procurent. Hîc sua cuncta posthabeant commoda, vt liberius exactiusque sui Principis voluntati atque animo satisfaciant: Quemadmodum te Princeps optime semper egisse, hodiéque agere compertissimum est. Qua de causa fit, vt potentissimo Gallorum Regi sedulum tuum officium, fidelisque seruitus adeò grata sint, vt non vereamur, suam Maiestatem, grauibus etiam perpensis laboribus, quos in sui Parentis gratiã exantlasti, dignioribus esse te & muneribus, & honoribus cumulaturum.

PRINCIPES ALIOS-
que Magistratus non aliter quàm in corpus animam debere, quod ad regimen attinet, in subiectos diffundi: Communique semper vtilitati consulere.

CAPVT XX.



T capitis sapientia totius corporis membra regit, ac nullum discrimen habens, quod oculus pede nobilior sit, omnium operibus atque officijs, vtitur, singulisque suum consilium, regimenque impertit. Ità & Principis, & reliquorum Magistratuum iustitia, quæ in sese virtutes continet omneis, indiscriminatim vniuersas ditionis parteis gubernare debet: & quemadmodum anima tam totum corpus, quàm totius corporis omneis artus viuificat: Sic & principis

authoritas cũctis in vniuersum sibi subiectis, ac singulatim vnicuique siue sint nobiles, siue ignobiles, siue pauperes, siue diuites, debet adesse pręsens: Ita fiet, vt membra omnia suis veluti neruis cõnectantur. Princeps igitur populum benignè complectatur, Vicissim populus Principem reuereatur & obseruet: Neque enim expedit, Principem semper esse minacem, asperum, ac superbũ, sed magis interdum pro locorum, temporum, ac personarum conditione, placidum se & benignum ac mansuetum prębere. Rector constitutus es, inquit Ecclesiasticus, ne efferaris: sed cæteris te prębeas æquabilem. Habe curam eorum: sic demum reside. Fac omni tuo fungaris officio, & quiesce cum laude. Cęterum neque Princeps, neque Magistratus quiuis alius vnquam sibi laudẽ parabit, si ex commissi muneris administratione suam potius quàm communem vtilitatem exquisierit: Quin magis inde murmura, tumultus ac seditiones excitabit in vulgo, qui non æquo

Deut. 17.
Cap. 32.

animo, nec lingua tacita id ferre solet. Itaque. Qui Magistratibus præfuturi sunt, Duo Platonis pręcepta teneant, à M. Tullio suis in officijs relata: Quorum vnum est, vt vtilitatem ciuium sic tueantur, vt quæcunque agunt, ad eam referant, obliti commodorum suorum: Alterum vt totum corpus reipublicæ curent, ne dum partem aliquam tueantur: reliquos deserant. Vt enim tutela pupilli, sic procuratio reipublicæ ad eorum vtilitatem, qui commissi sunt, non ad eorum, quibus commissa est, gerenda est. Qui autem parti ciuium consulunt, partem negligunt, rem perniciosissimam in ciuitatem inducunt, seditionem atque discordiam. Ex quo euenit, vt alij populares alij studiosi optimi cuiusq; videãtur, pauci, vniuersorũ. Hinc apud Atheniẽseis magnę discordiæ: In nostra repub. nõ solũ seditiones, sed etiã bella ciuilia pestifera: Quæ grauis & fortis ciuis, & in republica dignus principatu fugiet atque oderit, tradetque se totũ reipublicę: neque opes aut potẽtiã

Quæ Præcepta Principibus Magistratib. tenenda.

consectabitur, totamque eam sic tuebitur, vt omnibus consulat. Nec vero criminibus falsis in odium aut in inuidiã quenquam vocabit: omninoque iustitiæ honestatique adhæreſcet, vt dum eam conseruet, quamuis grauiter offendat, mortem appetat potius, quàm deserat, illa, quæ dixi. Hactenus Cicero. Equidem quod ad me attinet, illam ego rempublicam felicem arbitror, quæ ordine tam eleganti, tamque iusta moderatione regatur, quæque taleis habeat administratiores, qui duobus his honestissimis, vtilissimisque præceptis obseruandis incumbant: Non enim erunt, si id efficient, fautores partium: sed obliti propriam, communem tantum vtilitatem curabunt. Atque inde fiet, vt indies ipsa respublica prosperiore successu augeatur. Faxit optimus maximusque Deus, vt Christianarum rerumpublicarum Rectores depositis prauis affectibus, temperato diuinæ religionis freno populos moderentur.

VRBEIS ATQVE OPPIDA *Principibus esse bonis potius legibus quàm muris ac propugnaculis muniẽda: Principésque ipsos primos esse debere, qui suas Leges Lycurgi more obseruent.*

Cap. XXI.



E ipsa compertú est nihil tam subiacere fortunæ casibus, rerúmque mutationibus, quàm regna, quámque respublicas: quarum dominatus frequenter ab alijs in alios transferuntur. Id quod plerunque solet accidere quum ob inordinatam magistratus administrationem, tum ob effrenem populorum licẽtiam. His igitur vitijs & Principes, & reipublicæ præfecti seueris æquis, ac sanctis legibus debent occurrere, vt vel per has ipsi populi in ordinem redigantur. Isocratis in volumine de administrando Regno cõsilium Magistratibus est hac in parte sequendum, qui ait: Si quæ le-

Isocratis consilium. ges erunt, aut cõsuetudines ciuitatis parum rectæ, eas tolle, ac muta. Atque in primis da operã, vt eas quàm optimas excogites. Quod si minus poteris, quæ apud alios benè constituta sunt, imitare. In vniuersum leges conquire, quæ & iustæ sint, & reipublicæ conducibiles & inter se cõsentientes. Morbis itaque siue præsentibus seu imminentibus ipsi Principes optimis institutis eant obuiã. Nam id prouincijs ac ciuitatibus multò erit vtilius, quàm si castellis, arcibus, muris, ac propugnaculis inexpugnabilib⁹ omnia ditionis loca munirẽtur. Atque vrbes ingenti militum robore, bellicísque genus omne machinis replerentur. Quid prosit obsecro tutum vndique ab hostium insultibus esse oppidũ, aliquod, intúsque alere ciues incompositos, qui suo tantum arbitratu ferantur, nullis legibus, nullísque ordinibus subiecti viuant? Et sanè quidem præstant munitionibus leges, quod illæ tantum abarceant mala: hæ verò præter id, etiam bona conferant: populos

enim

enim in bonorum morum æquabilitate conseruant, neque permittunt vnumquenque suo viuere modo: sed ipsis transgressoribus minantur debita pro criminum qualitate supplicia: quum interim ex aduerso bonos animent ad meliora subinde præstanda. Archelaus Milesius Socratis præceptor vitia & virtutes non natura, sed lege constare dixit: quod non admodũ videtur abhorrere ab Apostoli Pauli sententia, qui peccati cognitionem fieri per legem affirmat. Legibus coercentur homines ne discedant ab honesto saltem extrinsecus, neque naturam vitijs obcæcatam atque in seruitutem redactam omnino sequantur. Sed per eas non possunt ab ipsa seruitute liberari, nisi diuina (quod Apostolus Petrus ait) intercedente gratia. Leges igitur quæ bonæ sunt & sanctæ, quærunt hominem ad id vitæ genus reuocare, quod præscriptæ ab se virtuti conforme sit. Is autem scribendarum legum modus, tunc

Archelaus Milesius.

introductus est,quum ipsius naturę lex à Deo quōdam mortalibus data, obscurari cœpta est. Etenim tunc ipse Deus per Mosem sancti ssimam legem tulit, quæ abditam naturæ vitiositatē in medium proferret,ac redargueret: vt non immeritò abierit in prouerbium,bonas leges ex malis moribus procreari. Non est ergo,vt ad Solonem,Principes, aut ad Lycurgum,aut ad alios legislatores gratia condendarum legum accedant: (quanquam ne hos quidem penitus cōtemnendos dixerim) diuinā sequantur legem,quæ sola omni errore caret. De ipso qui hāc tradidit, Mose sic habet Iosephus contra Appionem: Dico igitur nostrumlegislatorem quorumlibet,qui memorantur Legislatorum antiquitate præcedere. Lycurgus enim & Solon & Zaleucus Locrēsis,& omnes,qui apud græcos mirabiles sunt,nouelli,atque recentes, quantum ad illum comparati,esse noscuntur:quādo nec ipsum nomen legis, fuisse olim apud Græcos agnoscitur. Testis Homerus est, qui nusquam

Lib.2. Cap.5.

nusquam in opere suo hoc vsus est nomine, Non enim secundum legem, sed indefinitis sententijs, & Regum praeceptionibus popul⁹ regebatur. Vnde etiã multo tempore permansere tantũ moribus vtentes & non scripto: & multa horum semper secundum euentum casuum permittentes. Idcirco vera diuinæ legis cognitione carentes Græci ferẽdarum legum præcipuis philosophis tradidere negocium: qui multa licet ad naturæ honestatem ordinarint, in religionis tamen causa multum aberrarũt à scopo: quod Mosem minimè fecisse certum est. Romani quoque leges optimas non modo suę ciuitati, sed populis etiam sibi subiectis proponere cupientes, S L. Posthumium, A. Mãlium, & P. Sulpitium legatos in Gręciam miserũt, vt inde gentium illarum statuta Romã secum ferrent: vt nõ minus adhibitis legib⁹, quàm expositis armis loca omnia imperio suo parentia tutarẽtur. Et quãuis non omnibus omnes leges arrideãt, satis tamen est, vt maiori parti satisfa-

Romanos optimarũ legum condendarum cupidos extitisse.

T. Liv. Lib. ab vrb. cõdita.

De bello Maced. Lib.4. ciant:vt T. Liuius inquit: Nulla lex satis accõmoda omnib' est. Id modo quæritur, si maiori parti & in summa prodest. quemadmodũ Oppia lex, quæ põpas muliebreis atque adeò mundũ ipsarũ mulierũ refrænabat, fœminis omnino displicuit. Ob quam causam dixisse *Catonis sententia.* Catonẽ aiunt: Date frenos impotẽti naturæ, & indomito animali. Cõplureis itẽ alias leges atque ordinationes à Magistratibus Romanis ad malos mores prohibendos latas fuisse cõstat, quæ nomina sortiebãtur ab ijs ciuibus, qui pro tempore publicis fungentes muneribus illas tulissent, vt apud Pomponiũ Lętũ legere est. Et Principes igitur, & Senatus, & iudices optimas leges habere studeant, vt secundum eas quod æquũ est decernere, quodque iniquum prohibere, aut si ꝑpetratũ fuerit, punire queãt. Etenim tantum abest, vt sine iustis legibus, iustè iudicetur, aut viuatur, vt tam iudices ipsi, quàm cæteri mortales omnes prauis affectibus ducti, sua vitia virtutum nomine cõuestirent. Id quod in Ty

in Tyrannis cernere eſt, qui volunt ſibi ipſis licere, quod libeat: atque ità ſuperbè pronuntiant: Nos ſumus Ius & Lex. & cum Poëta

Sic volo, ſic iubeo: ſit pro ratione voluntas.

At bonæ leges Ariſtotele teſte, cunctarum virtutum opera iubent: & vitiorum omnium facinora vetant. Hac de cauſa Magiſtrat⁹ eidem Ariſtoteli lex viua eſt: ac Iudex à nonnullis alijs anima legis vocatur, quia ſcripturarum iura legum in apertum proferunt, & *Deu.* 17.
exequuntur. Idcirco iuſſerat ipſe Deus vt ſuę legis volumen Rex apud ſeſe perpetuò haberet: neque ab eo vlla in re deflectere t: aut ad dexteram, aut ad ſiniſtram. Ex quibus verbis colligere poſſumus, cuiuis Principi iuſtas leges etiã à ſeipſo cõditas, obſeruãdas eſſe, qđ & Plinius iunior nouocomenſis in Panegyrico ad Traianum innuit, inquiẽs: Ipſe te legibus ſubiceiſti Cęſar, quas nemo Principi ſcripſit. Sed tu nihil

amplius vis tibi licere, quàm nobis. Sic fit, vt nos tibi plus velimus. Quod ego nunc primum audio, nunc primum disco: Non est Princeps super leges: sed leges supra Principes. Idêmque Cæsari Consuli, quod cæteris non licet, Iurat in legem attendentibus dijs: Nam cui magis quàm Cæsari attendant? Iurat obseruantibus dijs, quibus id iurandũ est, &c. Quid obsecro magis animet milites, quàm ducem videre præeuntem ad certamen? Quid populos quæso disponat magis ad obtemperandum legibus, quàm cernere Principem eisdem obtemperantem? Iniustè præcipitur, quod à præcipiente non obseruatur. Si nãque bonum est quod præcipitur, cur non & præcipienti bonum sit? Locrensem Zaleucum sibi constituant ob oculos Principes, qui, quũ suus filius adulterij crimine damnatus secundum ius ab se constitutum vtroque oculo carere deberet: ac tota ciuitas virtuti & meritis patris crimen condonaret, ipse sibi non pepercit: Sed duo prius, deinde filij

Zaleuci exemplum. Va. Max. Lib. 7. Cap. de iustitia.

lij oculo eruto, vſum vtrique videndi reliquit. Præterea T. Manlij Torquati ſeuerum facinus frequenter Principibus in mentem veniat: qui proprium filium, quod aduerſus edictum cõſulare pugnaſſet, morti traditurus, ita in publica cõcione locutus eſt. Tu T. Mãli neque imperium conſulare, neque maieſtatem patriam veritus aduerſus edictum noſtrũ extra ordinem in hoſtẽ pugnaſti: & quantum in te fuit, diſciplinam militarem, qua ſtetit ad hanc diẽ romana res ſoluiſti: meque in eam neceſsitatem adduxiſti, vt aut reipublicæ mihi, aut mei, meorumque obliuiſcendum ſit, nos potius noſtro delicto plectemur, quàm Reſpublica tanto ſuo damno noſtra peccata luat. Triſte exemplum, ſed in poſterum ſalubre iuuentuti erimus. Mox ſubintulit: I, Lictor, deliga ad palum. & cætera quæ ſequuntur. Leges autem ipſæ & breues, & dilucidæ, & communes eſſe debent, & quæ res omneis inordinatas in ordinem redigant: præcipuè Deũ

T. Manlij exemplum.

T. Liu. lib. 8 ab Vr. Con

Quales eſſe debeant leges.

atque homines offendi prohibeant:modestæ iustęque vitę sint duces. Atenim ad exemplum Lycurgi nihil sanciendum, quod non ab ipso sit Authore seruatum. Quapropter Appij Claudij scelus detestandum est, qui contra legem fecit, quam ipse in duodecim tabulis posuerat.

NON DECERE PRIN*cipem nimium esse credulum; sed opus esse ipsum & res, & rerum causas atque origines diligenter intueri. Naturam insuper inuidorum obseruare, ne per illos curare ipsi vel sibi contingat.*

CAP. XXII.



On parum commendantur Nautę qui quadam dexteritate ventorum impetuosos flatus euitantes, nauem tempestatibus agitatam incolumem seruant. Idem suo modo fieri cum Principibus debet:quoties

ties delatorum maledicentia veluti vẽtis impetuntur. Nanque ab ijs turbinibus cautè sese subducant necesse est: si bonorum Gubernatorum nomen adipisci velint. Non enim qui referunt, omnibus omnia credenda sunt: quandoquidem sępe fit, vt aliqui vel inuidia, vel odio prosequentes alios Principibus illos etiam falsò deferant: atque ex musca faciãt Elephantum. Res præterea, de quibus eos aut Principibus, aut Magistratibus aliis accusant, verisimilibus coloribus ità pingunt, vt vix aliter fieri potuisse videatur. Hîc qui aliis pręsunt, esse bene cautos oportet, nec temere statim propositis assentiri, ne nimia credulitate in aliquẽ inducantur errorẽ, Vnde vel vniuersæ reipublicæ, vel saltẽ aliquot ciuibus pernicies aliqua valeat irrogari. Profectò turpe est sapienti dicere non putarã. Nolim tamen ex aduerso, nimiũ quoq; incredulos eos esse: Verum in ijs omnia recto iudicio temperari. Nerō fidem omnibus delatoribus adhibens, delatos interdum bo-

nis interdum etiam vita crudeliter priuabat. At contra Cęsar non sustinuit credere in seipsum aliquos coniurasse; imò ne scripta quidem illorum nomina legere voluit. Achabus item Micheę prophetæ monitis credere noluit. Ergo moderatè grauiterque Princeps cuncta vestiget, vestigata deliberet, deliberata exequatur, quod & Bianti placuisse certum est. Neque enim decet, ab ijs, quæ maturo semel consilio decreta sunt, leuiter vllorum delationibus aut persuasionibus remoueri, quod quidem in omnibus omnino negotijs tam publicis, quàm priuatis, alijsque omnibus causis ad Magistratus reiq; publicæ administrationem facientibus habere locum debet. Quæ rectè cognoscuntur, peragi etiam rectè possunt. Nam M. Tullio; cognitionem prudentiamque sequitur considerata actio. Omnis autem actio vacare debet temeritate. nec verò agere quicquam, cuius non possit probabilem causam reddere: Omni in re quid sit verum videre & tueri decet, & ratione

Biantis Placitum.

Offi. lib. 1.

tione vti. Contraque falli, errare, labi, decipi tam dedecet, quàm delirare, & mente captum esse. &c. Quisquis itaque regendorum populorum fungitur munere, vitiosos omneis affectus animi puta iram, timiditatem profusam lætitiam aliaque id genus permulta diligenter vitet: ne temerario præcipitique iudicio ad causas pertractandas feratur. Etenim vt Mimus Publianus ait: In iudicando criminosa est celeritas. Isocrates itidem suo Regi sic inquit Considera semper quid vel dicas, vel facias, vt in errata quamminima incidas. Potissimum quidem est ipsum rerum punctum attingere. Quàm verò noceat, ac sit iniquum de re parum cognita ferre iudicium, & Iudæ sua de nuru Thamar, & Pothipharis de Ioseph, & eorum qui Iezabelis in Naboth causa literis acquieuerunt, iniquę sententiæ nobis indicant. Hęc idem multo magis efficere Inuidiam sępissimè videmus. Cuius effigiem siquis ex Apellis prudentissimi viri, ac pictoris excel-

Magistratu fungentibus vitiosos affectus esse relinquēdos

Gen. 38. 39
3. Reg. 21.

Inuidia effigies ab Apelle picta.

lentissimi tabula velit intueri, sic se tem habere, dubio procul animaduertet. Cæcum hoc & inhumanum, atque efferum monstrum innocentem Socratem damnauit. Hoc Demetrij Phalerei trecentas & sexaginta statuas æreas deiecit: Nam totidem fuerant. Is ab Atheniensibus ob res apud illos optimè ac magnificentissimè gestas honoratus, quod quidem quum audisset ipse Demetrius, dixit virtutem, cui fuerant erectæ prius eædem statuæ, minimè fuisse ab Inuidis euersam: quod nulla ingenia, vt T. Liuius ait, tam prona ad inuidiam sint, quàm eorum, qui genus ac fortunam non æquantes, virtutem & alienum bonum oderunt. Quid? an non etiam nostra tempestate præsentaneis Inuidorum venenis impetitus est Franciscus Taberna summus Mediolani cancellarius, vir omni virtutum genere præstantissimus? Quin ob id quoque in eius Vrbis arce aliquandiu detentus est. Verum patefacta denique liuoris calumnia, in pristinum amplissimę dignitatis gradum summa cum lau

de restitutus est. Vt & Franciscus Bernardinus, & Antonius Maria Cermenati Mediolanenses ciues ac fratres mei, qui rebus ijs omnibus interfuere, per literas mihi significarunt. Ergo scitè dictum est ab Aristotele, nihil aliud esse inuidiam quàm dolorem quendam de bonorum prosperitatibus, qui torquet, siccat, afflat, exossatque Inuidenteis, quasi tortor quidam ex tartareis Vltoribus ad mortaliũ exterminia missus. Sed discant inuidi, qui aliorum fœlicitate torquẽtur, ex Nasone, quæ domus Inuidiæ sit: & qualis ipsius Inuidiæ facies.

Quid Inuidia, & qui sint eius effectus ex Aristot.

Domus est imis in Vallibus antri
Abdita, Sole carens, non vlli peruia vento.
Tristis & ignaui plenissima frigoris, & quæ
Igne vacet, semper caligine semper abundet.

Mox ipsam inuidiam suis coloribus graphicè sic depingit.

Pallor in ore sedet, macies in corpore toto:

humano generi plurimum inimicā excutite viperam, quę ſociam habet ſemper maleuolentiam, germanam indiuiduámque ſororem, diras nocte, erebóq; genitas. Et ſolent hæ peſtes in ciuitatibus incubare, aliorum fœlicitatibus & gloriæ venenato dente, obliquo oculo, felleóque pectore inſidiātes. Quas multi vt fugerent, patrias locáque deſerue re. Quas inquam vt fugerent, Conon diutius in Cypro peregrinus vixit: Diphicrates apud Thracas: Timotheus apud Lesbios: & Cabrias in Aegypto. Et omnibus ſeculis Phocion, & Timon Athenienſes maleuolentiæ nota poſteritati reddūtur infames. & cætera, quæ apud Iacobum ſtapulenſem in hāc ſententiam ſuper Ariſtotelis Ethicen leguntur. Licet itaque tandem concludere, minus eſſe malum cum ſylueſtribus feris, quàm cum inuidis & maleuolis habitare. Non igitur Princeps horum delationibus audiens omnino ſit. Verū ſedulò perquirat, an quæ crimina deferuntur, talia ſint, qualia nuntiantur. Et

ſiquidem talia eſſe deprehenderit,adhibitis remedijs reuocare facinoroſos ab errore delictóque ſtudebit. Sin res minus id ſuſtineat,neque vllã admonitionẽ ſuſtineat, pœnis debitis caſtigentur.

PRINCIPES QVI FOuẽt *Adulatores ac ſeditioſos,ruinam ſuis ditionibus parare: ſpeciémque ſeditionis extitiſſe,quæ magnificã Rhætorum Rempublicã à cuiuſlibet Principis ac præſertim à Regis Gallorũ ſocietate abalienare tentauit.*

CAP. XXIII.

DEBENT Principes vt in ſubiectos populos,ità ſuos etiã in animos dominari, neque permittere vt inibi vitiũ aliquod regnet. Nam quid obſecro turpius eſt, quàm eũ ſeruire, qui alijs habeat imperare? Sed illud in primis cauendum eſt Princi

Principi, ne suã mentẽ adulationibus corrũpi sinat: ne q. Regnis, Prouincijs, Vrbib⁹ ac populis præesse debet, vitiosę linguæ subiaceat: quíq; natiões debellare superbas, à minutulo virulentóque membro vincatur. Augustinus asserit Adulatores laudem suam tanquam oleum venditare stultis. Etenim mellito sermone hos in suam nassam illectare quærunt. Agesilaus autem Lacedęmoniorum Rex non secus Adulatores, quàm qui nos ad necem persequerentur, esse vitandos existimabat. Nó enim ad veritatem eos loqui sed ad voluntatem, ac voluptatem Democritus aiebat: ob ídque etiam interdum amplissimas dignitates illos nancisci atque obtinere videmus. Mirum verò videri possit, adeò stupidum & vecordem esse aliquem, vt se Achillem fieri, Thersites quũ sit, patiatur. Nullo maiore morbo grauari posse Principem Isocrates arbitrabatur, quã si delectaretur Adulatoribus, quos haud aliter atq; ignẽ fugiẽdos esse ducebat. E cõtrario suũ Regẽ monet

Agesilai sententia de Adulatoribus.

Item Democritis.

Item Isocratis.

vt eos diligat, veróſque amicos putet, quos animaduerterit Zelo quodã honoris regij ductos, ex animo ſua ipſius errata modeſtè corrigere, quod vt ſecurius efficere poſsint, neceſſe eſt, vt integram liberè loquendi facultatem illis concedat, ne timeãt ob id ſuam gratiã, fauorem & beneuolentiam amittere. Nam id aliquot viri ſanè docti, ac probi verentes admonere Principes atque inſtituere ſcriptis potius quàm voce maluerunt. Quocirca Demetrius Phalereus Ptolemęo Regi dixit, vt legendis libellis, qui inſtitutiones iſtiuſmodi continerent, aſsiduã operam daret: quoniã in illis inuenturus eſſet multa, quę viua voce non auſi fuiſſent eorum authores profiteri. Agamemnonem quoque pluris apud Homerum feciſſe Neſtorem quàm Aiacem apparet. Antigonus itẽ Rex aſſentatores auerſatus, Zenonem philoſophum integerrimum, per literas, vt ſecum habitaret, inuitauit. Idem cum Philippide poëta comico Lyſimachus fecit. Verum quia nonnunquàm

Demetrij Phalerei conſilium.

euenit vt adulatores hujusmodi Principis alicuius virtutem ac fortitudinē ob id extollant,vt eum incitent ad nocēdum ijs, quos ipsi odio prosequantur, diligenter obseruandum est, ne simul cū assentatione seditionem etiam inuehant & inducant aut publicè, aut priuatim. Cuius iniquitatis exempla & vetera & recentiora non pauca sunt. An nō Datames egregius Dux apud Artaxerxem eam ob causam circunuentus interijt? Sed vt antiquiora prætermittam, Nonne etiam ij seditionis aliquam speciem non ita pridē inter Rhætos introducere velle visi sunt,qui blandioribus verbis populo persuadere tentabāt,expedire multo magis rempublicam suā suis auspicijs regi,suísque viribus consistere, quàm vllorum Regum fœderib⁹ inniti; ad hanc tutandam satis adesse roboris absque aduentitijs auxilijs,præsertim quum socialibus præsidijs vndique circunuallata sit. His adulatorijs verbis nihil aliud efficere conabantur, quàm vt Rhætos à fœdere, quod initū *Apud Emi. Prob.*

ipsis cum Rege Gallorum iam diu est amouerent. Quin dum hæc agerentur apud Rhætos, aderat quidā monachus Natalis nomine, qui tamen abiecto cucullo sese Aurelium Scytarcham nominari volebat. Is Adulatorum huiusmodi conatibus ire se obuiam velle tā diu finxit, quo ad eorum, qui aduersabantur sententijs expiscatis, Adulatorum Adulator factus, illis omnia secreta retexit, vt adderet (quod aiunt) oleum camino: móxque inde clāculum aufugit. Istiusmodi pesteis amoueat à rebus publicis Deus. Quid? an nō & Eurides Lacon tale quid est cōmentus? de quo scriptum est ità: Eurides Lacon proditiosissimus Adulator reconciliationem perturbauit Alexandri: Regémque adulatione falsisque laudibus; & sermonis calliditate circunuenit: qui apud eum Antipatri laudator pecunia corruptus erat: & Alexandri, qui incautè de Patre conquerebatur, proditiosissimus fuit accusator, & quę sequuntur in eandem

Iosep. de Antiq. Lib. 16. Cap. 10. Agesip. lib. 1. cap. 41.

dem sententiam. Quare perniciosi generis huius Assentatores haud omnino sunt absimiles Lenonibus, qui castas alioqui matronas falsis laudibus allectas nituntur ad libidinem trahere, atque illarum honestatem corrumpere. Idem suo modo cum Principibus ac Rebuspublicis efficiunt Adulatores. Publicitus itaque sunt hæ pestes abigendæ, aut saltem penitus contemnendæ: quemadmodum Romani cum Bithyniæ Rege Prusia fecisse dicuntur: è quibus etiam aliquot seorsum hoc idem factitasse cum alijs memoriæ proditum est. Rectè igitur Bion Borysthenites aiebat, adulationis crimen grauius esse, quàm falsi testimonij dictionem. Quam autem ab hoc vitio primis temporibus abhorrerent Athenieńses, id indicio esse potest, quod supplicio capitali Timagorā affecerūt, quoniam Darium Regem, ad quē legatus missus fuerat, more Persarū adulādo adorauerat. Verùm oro parumper

Bionis dictum.

Timagoras capite punitus ob adulationem.

attende, quonāvſque progredi audeat Adulatorum impudentia. Legem olim tuliſſe feruntur in Demetrij Regis gratiam, quæ ſic haberet: Quicunque ſub Rege Demetrio eſſe amāt in cœlo ſancti, iuſtíque in terris habentur. O perditos & inuerecundos homines. Oderint ergo Principes hæc monſtra cane peius & angue, ſi ſuis regionibus benè conſultum, ſuis populis benè prouiſum, ſibi ipſis benè proſpectum volunt.

Adulatorum lex

DE SEDITIONVM CAVſis: *vtque hæ nonnunquam per Principes ac Iudices: nonnunquā per populos excitātur: Quantamque ſecum ruinam trahant.*

CAP. XXIIII.



VPERIORE Capite nonnullā fecimus de ſeditioſis hominibus mentionem. nunc vidēdum eſt hîc vnde ſeditiones ipſæ, & quo plerunque tēpore exoriri

riri consueuerint. Obseruandum igitur quandoque Principem suscitandarum seditionum causam esse, quemadmodum de Rege Demetrio legimus, Qui quum debita stipendia militibus, quos ex Creta conduxerat, haud soluisset, occasionem seditiosi tumultus prębuit, per quem parum abfuit, vt à Triphone non sit expulsus regno. Tarquinius vero ob violatam Lucretiam tanti tumultus populo Romano causam exhibuit, vt cum suis omnibus etiam fuerit priuatus imperio. Gabaonitæ porrò stuprata fœdissimè Leuitæ concubina tam ingenteis motus in vniuersa Israelitarum gente concitarunt, vt sibiipsis ac suæ tribui summam perniciem pararint. Iudices quoque populis interdum causam tumultuandi prębent, ob id nimirum quod iniquas ferant sentẽtias, muneribusque aut prauis affectibus corrupti malignè atque iniustè commisso fungantur officio, vt per Ioelem atque Abiam factum fuisse legimus. Frequenter etiam Principum in Nobi

Mach. 11
Ioseph. de Antiqui Li. 13. cap 6.
Iud. 9.
Ioseph. de Antiqu. Cap. 10.
1. Reg. 8.

liorum sanguinem ſęuitia ſeditiones non minimas mouet, ſicuti de Athaliæ in regiam ſtirpem immaniſsimo ſcelere ſcriptum eſt. Suſcitantur aliquando ſeditionum motus per homines ambitioſos, qui turpis lucri cauſa Magiſtratibus aut alijs honoribus adipiſcendis auidiſsimè inhiant. Ex his etiam ſunt, qui alios publicis iam muneribus prę-fectos tanquam rapaceis calumnientur: ſeque non minus idoneos eſſe ad eadem officia adminiſtranda, Reique publicæ iuuandæ quàm illos alios palam iactent: multaque perpeſſos ob patriam affirment, propter quæ non iniuria id promereantur. Huiuſmodi tumultuoſis ambitionibus olim abundaſſe rempublicam Romanorum, teſtes ſunt omnes ferè ipſorum hiſtoriæ: Quod ſeorſum etiam Quintius Capitolinus Conſul apud T. Liuium Concione ad populum habita luce clarius indicauit. Quare qui cæteris præſunt, iis omnino curæ eſſe debet

Libro 3. ab Vr. con.

vt

vt ambitiosa seditiosaque id genus ingenia compescant, & quo ad eorum fieri possit, in ordinem redigant, quo tumultuum omnium occasiones auferantur. Aliqui præterea populi sunt, qui ex libera viuendi forma in aliorum potestatem redacti, seruitutem æquo animo ferre non valeant: Atque ob id ad pristinam libertatem semper aspirātes, oppressionis iugum abijcere, quomodocunq; liceat, experiantur. Hinc seditiones, hinc tumultus exoriri solēt: quemadmodum Iudęos frequenter excitasse Iosephus Author est. Nonnulli maleuolentiæ atque inuidiæ stimulis agitati motus concitant. Vt Core cum suis contra Mosēm fecerunt, quem ægrè ferebant esse in summo honore constitutum. Neque hi tantum aduersus ipsum extitere seditiosi, Sed etiam vniuersus Jsraëliticus populus; quem eduxerat ex Aegypto sæpissimè idem fecit: pręsertimque verò quum fame

De Bell. Iudai. lib. 12. cap. 12.

Num. ca. 2

vel siti laboraret: aut aliâs de vita periclitaretur. Quocirca qui vel ductandis exercitibus, vel populis regendis quoquo modo Præpositi sunt, cuncta necessaria, & quorum quotidianus indiget vsus illis adesse pro sua virili quàm diligentissimè procurent; vt omnem tumultuandi causam, quæ non omnibus vna & eadem esse solet, hinc ipsis adimant. Illud insuper est Principibus cauendum, ne consueta stipendia tam præfectis militaribus, quàm cæteris nobilibus Viris apud se agentibus imminuant, sed potius liberalitate quadam in dies augeant: ne contingat illos ob Salariorum detractionem aliquod rebellium meditari. Neque minus eisdem Principibus cauendum est, ne populos intolerabilibus atque insolitis oneribus grauent, vt ne dum quærũt ingẽtes parare sibi thesauros & ipsis thesauris & Regno, & vita deniq; spoliẽtur. Idq; etiã summopere vitandũ, ne libidinosis affectibus ducti aut vi aut alio quo

quouis inhonesto modo ad castas matronas constuprandas virginesque violandas aggrediatur. Nam ij sæpe, quibus tam grauis irrogatur iniuria pariter & infamia, vindictam sumere vel cum vitæ dispendio non verentur: vt cum Mediolani Duce Galeaceo factum fuisse vir prudens Nicolaus Longonius affinis meus, qui tunc inter ordinarium Magistratum in ipsa Vrbe gerenteis erat, mihi bona fide iam retulit. Interdum etiam per eos, qui partibus fauent exoriri seditiones consueuerunt: quum suos qui solum vertere coacti sint, in patriam reuocare conantur. Quibus ibitur facile obuiam, si dexteritate quadam ab omnibus publicis administrationibus amoueantur, ac præcipuè munitioribus locis præesse non sinantur. ita nihilominus vt suis bonis, suisque redditibus non priuentur, ne inde forte asperiores fierent. Verum enimuero quoties eiusmodi perturbationes excitantur, non illico debent

Principes, aut exercituum Ductores ita expauescere, vt penitus animum despondeant, sed potius inde cautiores facti, custodia sanè diligentiori curare sua omnia. Legimus Censorinum Catonem vidisse libenter, vt serui domestici dissiderent inter sese: quod inde fieret, vt hero fideliores essent: Concordes enim Dominum commodius fallere poterant: at discordes non item, quod in delictis alter alterius delationem timeret. Ità nonnunquam fit etiam cum Principibus vt ijs ex populorũ dissidio machinationes aliquæ retegantur, quę alioquiforsitan inpace latitassent. Ergo nõ inelegãter Chrysostomus ait. Medicus hoc modo reliquũ corpus cõseruat facilè si quod reduci ad sanitatem non potest, reciderit atque abiecerit. Et militię dux ad soluendam militum conspirationem alterũ in alterum concitat. Sic illo quoque tempore turrim factam vidimus, quando perniciosa pax per probatam discrepantiam dissoluta

Homil. 36. In Mat. cap. 10.

tran

tranquillam atque laudabilem pacem reddidit. Et paulo post. Nec enim semper concordia laudanda, quum etiam latrones inter se conspirare sciamus. Per adulterinas insuper literas aliquando tumultus commouentur, quin & proditiones interdum enascuntur: vt de Diophanto Alexandri Regis notario scriptum reliquit Iosephus, quod is cuiuslibet manus literas imitando falsasque sæpe conscribendo ab ipso tandem Rege sit interfectus. Afferunt plerunque seditionis occasionem etiam ij, qui senatorio munere funguntur, confictis inter contrarias parteis proditionibus: quod licet illos ad gradus excellentiores nonnunquam ducat: nihilominus quoniam proditiones potius quàm proditores Principibus plurimis placere solent: quia quod aliis per illos factũ est, sibi quoque per eosdem fieri posse timeant, frequenter euenit, vt iniustè partis dignitatibus priuentur, & inuisique omnibus fiant. Præter hos alij reperiuntur, qui

Libr. 1. de Bell. Iud. cap. 21.

quas ipsi confinxere proditiones, easdem mox literis vel ad Principes, vel ad Respublicas missis per se retegant, vt apud ipsos curiosę cuiusdam fidelitatis gratiam ineant, non verentes interim etiam innocenteis in discrimen vocare: Cuius ille generis extitit, qui venena per aliquot vrbeis Galliæ comportanda curauit, ac paulo post Regem admonuit per literas, ipsius populis insidias per venena parari: quò monitionis huius ab ipso Rege præmium aliquot referret: Verum denique technis huiusmodi palam factis per eos, qui penitus eorum, quę agerentur ignari venena comportarunt, mirando Dei consilio factum est, vt per suã ipsius ad viuũ depictã effigiẽ Proditor ipseLugduni proderetur, & innocui homũciones euaderẽt. In cõcionib' etiã publicis cõmouentur aliquãdo seditiones: vt per Gisgonem Amilcaris filiũ hominem factiosum Carthagine factũ fuisse constat. Nam quũ Senatus Carthaginensium pariturum se iudicio Ro-

L. Flo. Epit lib. 48

manorum legatorum dixisset, Ita is bellum aduersus Romanos suadendo concitauit, vt legatis quò minus violarētur fugam explicuerit. Liuius item Drusus Romæ Tribunusplebis, vt vireis sibi acquireret, perniciosa spe largitionis plebem concitauit. Seditiosorū igitur omnium natura Principibus optimè & noscēda & cauēda est.

QVOD NONNVLLI AD *societatem dirimendam, quæ inter Principem ac Rempublicam aliquã intercedat, abutantur etiam religionis doctrina: Vt Petilianus contra Augustinum fecit.*

CAP. XXV.



AVD procul à seditiosis id etiam genus hominum abest qui per speciem religionis Euangelicæ persuadere populis conantur, non licere cum Principibus eidem religioni non fauentibus aliquã societatem, fœdúsue contrahere. De qua re Petilianum quoque ad Augustinum scripsisse, atque ipsum Augustinum prudenter illi respondisse nouimus. Constat etiam sacras literas in Abrahamo ac Dauide aliîsque quamplurimis contraria huic sententiæ nobis

bis exempla proponere. Non satis ergo rectè cum illis agitur, qui Principis alicuius æqua fœdera disrumpere, vt Alterius incant, absque legitima ratione contendunt. Nam fieri potest, vt dum inde priuata spectant commoda, publicæ vtilitati, ac nõnunquam etiam libertati non minimum noceant, præter quam quod magnarum sæpe factionum Authores fiant. Cæterùm quoniam id Euangelicæ religionis prætextu consueuerunt efficere, quibus nitantur è diuina scriptura sumptis argumẽtis breuiter in medium proferemus. Principio Iosaphatum adducunt, qui per prophetam Iehu redargutus est vehementer, propterea quod suppetias impio tulisset Achabo. Illi nanque sic dixit: An impio decuit te ferre opem? & osores Domini diligere? & propter hoc super te ira à facie Domini. Ac non ità multò post, Quia Rex idem Iosaphatus inierat societatem cũ iniquissimo Rege Achazia, ab Eliezer propheta reprehensus his verbis est: Quia

2. Paral. 18. & 19.

ſocietatem iniſti cum Ahazia, diſsipa-
uit Dominus opera tua. Et cōfectę ſunt
2. Para. 20. naues, neque valuerunt ire in Tharſis.
Huc afferunt etiam Aſam Regem in-
crepitum fuiſſe: quod fiduciam in Aſſy
Cap. 30. riorum Rege collocaſſet. Ad id facere
Eſaiæ quoque prophetæ verba putant:
quum Iudæ Regibus dixit: Væ qui am-
bulatis vt deſcendatis in Aegyptum: &
os meum non interrogaſtis: ſperantes
auxilium in fortitudine Pharaonis: ha-
Cap. 48. bentes fiduciam in vmbra Aegypti. Et
erit vobis fortitudo Pharaonis in con-
fuſionem. Apud Ieremiam eadem ferè
Exo. 33. & 34. leguntur. Denique ſuperioribus adiun
gunt, ſuo mandaſſe Deum populo, ne
fœdus feriret, aut amicitiam contrahe
ret cũ Cananæis, Amorrhæis, ac reli-
quis odio ab ſe habitis gentibus. Hiſce
obiectionibus dupliciter occurritur: vi-
delicet, & rerum, & cauſarum, & tēpo-
rũ diſtinctione: & omnino contrarijs
obiectionibus. Primũ itaque ab vniuer
ſalib' præceptis, præcepta particularia
quidã ſegregantes dicunt, prohibitio-
nem

nem Iosaphato Regi factam, ad ipsum peculiariter pertinere, propterea quod suppetias tulerit Regi nō modo impio, sed qui omnis etiam impietatis author, impensius in hanc vnam studebat. Asam verò ob id tantum fuisse reprehensum aiunt, quod oblitus diuini auxilij, non nisi humanis viribus niteretur. Deinde temporum quoque rationem habendam esse existimant: Sub veteri nanque testamento propterea Deus haud permittebat infidelium populorum subsidia implorari, quò sibi soli partarum vel parua manu victoriarum ingentium gloriam reseruaret: Insuper cum eisdem populis iniri societatem nō sustinebat, ne superstitiosis illorum impiisque cultibus inficerentur. Qua in re illud obseruandum est, religionis cultum, quem nostra tempestate Galliarū Hispaniarum, cōpluresque alij Reges exhibent Deo, non esse cum illo conferendum, quem Cananæi, cæterique eius generis populi quondam præstitere: Atque inde fieri, vt prohibitio neutiquam

Ante legem.

quam

quam parem locũ obtineat. Porrò Esaiæ monitionem ita interpretantur, nimirum nihil aliud Prophetam reprehendere, quàm fiduciam pessimè collocatam in Aegyptijs, quæ in vno tantũ Deo ponenda erat, quum nulla maior illi possit iniuria irrogari, quàm relicto Creatore, Creaturis inhærescere: Qua etiam de causa sacræ literæ Asam Regem damnant, quod Medicis potius, quàm ipsi Deo sit fisus: id quod idololatriæ quædã species est. Verùm si quis rebus benè conditis benè vtatur, nihil apud Deum reprehẽsionis promereat. Nunc ad contrarias obiectiones deueniemus, per quas ex eisdem sacris literis indicatur licere Christianis Principibus inire cum Ethnicis fœdus, præsertim cum ijs, qui & suam ipsorum amicitiam expetant, & se cum illis omne genus beneficia communicaturos polliceantur. Deuteronomij vigesimo Capite sic Moses habet: Quum oppidum aliquod bello adoriemini, ei pacẽ offertote: Quod si pacẽ acceperit, vobísq;

portas

portas aperuerit, omnis in eo repertus populus vobis tributari⁹ esto. Præterea Gabaonitas in fœdus accepit Iosua, qđ ne detecta quidē illorū fraude vnquā rescidit. Quin & Abrahamus ipse præcipuū iustitię fideique specimen & exemplar cum Abimelecho Rege percussit fœdus. Dauid quoque, qui vir erat secundum cor Dei, talem amicitiæ coniunctionem cum Achi Rege contraxit, vt custos etiam regij capitis fuerit constitutus. Idē insuper singulari beneuolentia Naham Ammonitarum Regem prosecutus perpetuam cum illo societatem seruauit. Hoc idem fecit & ipse, & Solomon suus filius cum Tyriorū Rege Hiram: à quo idem Solomon etiam intercedēte inter eos fœdere, materiā atq; artifices ad cōstruendū Hierosolimis Dei tēplū accepit. Ergo si iā dictis Regibus iustis de causis licuit cū infidelib⁹ Regibus ferire fœdus vel bonorum, vel vitæ, vel ædis extruendæ causa, quî quæso minus licebit Christianis Principibus, Rebúsque publicis auxilij

Ios. 15. & 16.

1. Reg. 23. & 27.

2. Reg 10.

3. Reg. 5.

gratia cum ijs, qui eiusdem secum religionis nõ sint Principibus societate vinciri? modo suæ religionis dogmata desererere non cogantur; vt Israëlis filios in Aegypto fecisse pro comperto est.

EX DVOBVS PRINCIPIbus qui non faueant alicui alij religioni adhærendum esse illi, qui minus aduersetur.

CAP. XXVI.



LVRIBVS de causis Principes diuersæ religionis etiã professores non pacem tantum habebt, verùm & fœderibus colligantur. Sed enim quum Princeps aliquis verè Christianus ad id exposceretur ab aliquo alio, vt coniunctis cum illo virib' illicitũ bellũ excitare, finitimásq; regiones subiugare, aut Christianã religionem persequi cõmodius ille

ille posset, nullam contrahendæ societatis iustam causam habet. Quin potius, vt his omnibus occurrat, alteri quæret adhærescere, quē licet religioni suæ minimè fauentem habeat, pericula tamen paulo ante dicta ab eo sibi timenda non sint, sed multo magis opportuna suis in omnibus indigentijs auxilia expectanda. Per matrimonia quoque nonnunquam Principes concilian tur alter alteri: nō tamen in causa sunt matrimonia, vt semper id fiat, quū etiā nostra memoria viderimus, Coniugiū inter Franciscum Gallorum Regem, & Caroli V. Cæsaris sororem contractum, non modo, non conciliasse Principibus ipsis amorem inter sese, verū potius discordiarum veluti seminarium quoddam extitisse. Cæterum an nō & per cōnubialia fœdera superiore anno Gallorum atque Hispaniarum Reges post horrida bella, pacem demum iniere? Faxit verò Deus, vt faustum felíxque sit, coniunctáque beneuolentia ditius perseueret, nec malis vnquam di-

uulsa querimoniis suprema citius sol-
uatur die. Consueuerunt etiam Princi
pes aliquando aut ad suas prouincias
ab imminentibus hostibus facilius tu-
tandas, aut ad easdem in pace securius
conseruandas, quod vires in vnum col-
lectæ fortiores omnino sint mutua so-
Libro 1 tietate copulari: Quemadmodum Iu-
Mach. 8. das Machabæus amicitiam, ac societa-
Cap. 8. tem cum Romanis coiuit, vt vexatos
à Demetrio Rege suos Iudæos defen
Cap. 12. deret. Jonathan quoque Iudæorum pō
Ioseph. de tifex maximus Alexandri Regis ami-
Antiqu. cus est factus, vt quas molestias Iudæo
Libr. 13. rum genti Demetrius idem inferebat,
cap 6. procul amoueret. Igitur minima (quod
dici solet) de malis. Nā & Moses Dei fidis
simus Administer Iudæis durę ceruicis
hominibus diuortij libellum concessit,
ne maritis vxores odiosæ grauioribus
essent periculis expositæ: Quod Iesus
Christus indicauit, inquiens. Moses ad
duritiam cordis vestri permisit vobis
repudiare vxores vestras: Cęterum ab
initio

initio non fuit sic. quasi diceret: Hoc Deus quidem fieri noluerat, Sed Moses duritiem vestri cordis agnoscens, leuius malum indulsit, ne grauius à vobis committeretur. Idem & Principibus erit in contrahendis fœderibus obseruandum, vt quod emolumenti commodique plus habet, & damnis & incommodis præponderet. Hîc obiiciunt aliqui quod à Christo dictum est, nempe futurum, vt religionis causa Pater filium, & mater filiam, Socrum Nurus, & è conuerso deserturi sint: Igitur multò magis inter diuersæ religionis Principes idem efficiendum arbitrantur: Quibus omnino respon- deri potest, eam disiunctionem, qua de loquitur Christus, ad internum Dei cultum, non ad externam consuetudinem pertinere: quod non difficulter ex verborum contextu colligitur: Nanq; sic ait: An me ad pacem in terris cōciliandā, venisse arbitra *Luc. 12.*


mini? Nequaquam (inquam vobis) ſed potius ad diſcordiam: Erunt enim deinceps quinque in vna domo diſsidentes, tres à duobus, & duo à tribus. Quum itaq; qui diſsident in vna domo ſint, nō de corporum ſed de ſpirituum diſsidio Chriſtum loqui minimè dubium eſt.
1. Cor. 7. Iam & ex Apoſtoli Pauli ſententia liquet, matrimonia olim contracta non propterea fuiſſe dirimenda, quod alterius religioni pars altera aduerſaretur, modo ſimul coniuges cohabitare ſuſtinerent: Quod fieri poſsit, vt alter per alterius miniſteriū verę fidei cognitionem accipiat, quum liberius loquendi facultas inter vtrunque adſit. Quis igitur neget, Principum etiam religione diſsidentium fœdera vim habere, modo in id conſentiant ambę partes? Etenim hîc non minus euenire queat, vt ex quotidiana conſuetudine, mutuiſque de religione colloquiis, quæ pars per omnia ſynceræ priuș religioni aduerſabatur, ità paulatim inſtituatur, vt fauente diuina gratia, tandem ad in
tegram

tegram veræ fidei cognitionem perueniat. Quod si ob dissentienteis in religione sententias, inter populos dirimẽda pax esset, Quid cum Heluetiis obsecro, quid cum Rhætis ageretur? in quorum oppidis ac vicis, quod ad hoc ipsũ attinet, ità commista sunt omnia, vt vix ab inuicem discerni valeant: Et nihilominus ipsis adeò inter se conuenit, vt ex hac ipsa concordia quotidie potentiores euadant. Sed enim quoniam peculiaris hîc mẽtio de Rebushispublicis facta est, pro eo, quanti ego illas facio, mihi monendæ sunt, vt omneis, quæ hinc exoriri possent, dißidiorum occasiones euitent, quò suorum ciuium optimorum prudentißimum consilium sequentes, in grauiora discrimina non incurrant. Et quandoquidem suprà nõ nihil de matrimonio meminimus, meminerint & ipsi, quod semel vt cõtracta legitimi matrimonij iura non nisi per mortem dissolui possunt, sic inter Principes inita fœdera suo quodam modo per ipsorum alterius tantũm mortem

esse rescindenda: ne faciles omnino sint ipsi Principes ad hanc fenestram aperiendam.

POPVLVM FIDELEM *cum infideli commercium habentem, ipsius infidelis impietate non infici. ex Augustini contra Donatistas in Haggæum Prophetam sententia.*

CAP. XXVII.



Ihil æquè mortalium animos exagitat, quā religionis opinio, cuius defendendæ causa nonnunquam homines etiam de vita periclitantur. Quamobrem hîc mihi conandum est, vt ex mentibus ipsorū hominū, eum errorem summoueam

quo sibi persuaserunt aliqui, non licere piis cum impiis commercium habere, simulque pertractare negotia. quod non de priuatis tantum hominibus, verum etiam de publicis magistratibus intelligunt. Nullus hic erit mihi sermo de iis, qui per excommunicationem è fidelium cœtu legitimis de causis abarcentur, quando nemini dubium sit, eos ab omnibus esse vitandos, quoad si fieri posit, resipiscant: Sed solummodo de iis dicemus, qui nunc itidem aliis hac in re facessunt negotium, vt olim egisse Donatistas cum Augustino memoriæ proditum est. Nam Donatus Manicheus hæreticus arbitrabatur pios homines impiorum consuetudine ità contaminari, vt fas non esset inter eos externam familiaritatem intercedere. id quod è sacris literis nitebatur asserere, ac presertim ex Haggæo propheta vbi ait: Interroga de lege Sacerdotes, si quis carnem sacram in vestis suç gremio tulerit, & tangat

gremio suo panem, aut pulmentũ, aut vinum, aut oleum, aut quemuis cibum an id consecretur? Non consecratur, inquiunt respondentes sacerdotes. Et Haggæus: Quid si exequiis pollutus quiduis istorũ tetigerit, polluetur ne? Polluetur, inquiunt respondentes sacerdotes. Tum Haggæus: Eadem est mihi istius populi, eadem gentis ratio, dicit Dominus: Eadem & omnium eorum operum ratio vt quod accedunt, id impurum sit. Quàm aptè hîc respondeat Augustinus, ex ipsius volumine licebit obseruare, sed simpliciter nos hîc animaduertemus, Electorum Dei numerum licet minimum, ab improborũ multitudine, quos inter inhabitant, non inquinari: quum nihil aliud sacrę literę suis nos & præceptis & exemplis admoneant, quàm vt ne ducamus cum infidelibus iugum de externa cohabitatione non admodum solicitę. Nam & Moses ipse, quanquam sibi sæpius rem esse cum multis contumacibus ac proteruis agnosceret, non tamen ab illis, nisi

Deo

Deo peculiariter id iubente, sese subtrahebat. Samuel quoque tametsi compertum haberet Saulum à Deo fuisse reprobatum, non propterea tamen ab eo se subduxit. Id quidem verum est, pios ab impijs nonnunquam etiam loco disiungi, nimirum quoties Deus aliquam scelestam gentem puniturus, fideles inde suos discedere facit: vt cum Noha diluuij tempore: cum Loto dum Sodomam incoleret: cum Mose aduersus Coram Dathanem & Abiramum, atque alios coniuratos illum egisse notißimum est. Abstinuit etiam ab Ieroboami commercio Vates ille, cui præceperat Deus, vt in Samariam profectus eundem Ieroboamum argueret de Idololatria. Modo igitur ne sic impiorum erroribus assentiamur, vt illos etiam & sequamur, & imitemur, nihil obstat, quo minus inter illos habitare valeamus. Idem etenim Augustinus in eundem Haggæum prophetam sic ait. Vitium notat, quo accedi prohibuit, nō homines ab hominibus corporali dis-

iunctione secludit. Acceditur autem ad vitium corruptionis, vitio cõsensionis. Ergo spiritualem prohibet accessum, consensionémque factorum. Hæc Augustinus. Quod si qui sunt in eodem ecclesiastico cœtu, atque ijsdem participant sacramentis, improborum externo conuictu non coinquinantur, quanto minus contaminabuntur ij, qui non tantum aduersariorum non communicant religioni, sed illis potius in omnibus aduersantur? Verè igitur Christiani Magistratus diligenter obseruabunt, quod ad fœderis ineundam sanctionẽ attinet, quibus cum Principibus res illis futura sit. quod si cũ Neronibus, Domitianis atque eiusmodi mõstris hominũ: qui cõtra manifestã Dei voluntatẽ, cõtráque diuinã pietatẽ ferro Christianos insectantur & igni, contrahẽda societas illis esset, omnino vale dicant im manib⁹ hisce feris, nec taleis vlla dignẽtur amicitia: Quin illis cum M. Tullio

Offi. lib. 2 dicant, Nulla societas nobis est cũ Tyrannis: sed potius summa distractio.

PRINC

PRINCIPES AB HOMERO, *Pastores, A Romanis autem, patriæ Patres, vocari. Ea de causa debere illos vti suos in Populos beneficentia, necnon eosdem sedulò tutari.*

CAP. XXVIII.



NEMINI dubium est, corporis exercitationes honestas Principibus esse decori, sed animum liberalibus disciplinis exercere laudabilius ipsis est: At beneficentia in omneis tam ciueis, quàm peregrinos effluere, turpéque putare hac in re se ab aliquo superari, id verò demum gloriam quàm maximam illis parit. Nam quũ inter sibi subiectos populos quandam Solis imaginem referat Princeps, ita debet in suos omniũ bonorum, quoad eius fieri potest, efficentiam effundere, quemadmodum *Arist. de Cæ. & Mun. lib. 2.*

in res omneis creatas ipse Sol facit. Inde suorum ciuium beneuolentiam sibi conciliat, quæ firmissima custodia locorum omnium est, ac sola Principem liberat à timore, quem alioqui neque munitiones, neque thesauri liberare va-

Strabo. lent. Strabo geographus refert, Aethiopas duo præsertim numinum genera, mortale alterum, alterum immortale coluisse. Et immortale quidem illos numen existimasse Deum ipsum esse, qui & cōdiderit omnia, & condita regat & gubernet. Mortale verò numen esse beneficos homines, qui studeant benè de omnibus promereri. Sacris in literis

Psal. 81. Principes ac Iudices Dij vocantur: quod ipsi Deo munificentia, benignitate, clementia & iustitia similes esse debeāt. In Psalmis enim ità legitur: Deus consistit in consessu diuino: in medio Deorum iudicem agit. Et paulò infra, Equidem dixeram, vos Dij estis: & vos omnes filij excelsi. Quod autem ad benignitatem attinet & beneficentiam,

Prouer. 2. Solomon quoque sic ait: Beneficentia

& fides

& fides seruant Regem, & suffulcitur solium eius benigitate. Quum igitur Magistratus in Reipublicæ corpore quoddam veluti corculum sit, vnde bonorum omnium proueniant motus, ijs ipsis in exercenda erga omneis, præcipuéque erga pauperes, viduas, orphanos ac peregrinos munificentia vti debet, vt quum tales inde suis necessitatibus prouisum esse cognouerint, pro Magistratus eiusmodi salute preces assiduas offerant Deo: quandoquidem ipse Deus horum precationibus aurem facilem præbere soleat. Id quod etiam Plinius iunior licet Ethnicus non ignorasse videtur, quum inquit. Pauperibus educãdis vna ratio est bonus Princeps: Hic fiducia sui procuratos nisi larga manu fouet, auget, amplectitur, occasum imperij, occasum reipublicæ accelerat. Magna laus Principis, vt pater patriæ vocetur: non armis, non præsidijs militaribus tanquam subditos, sed humanitate, beneuolẽtia, pietate tãquam filios regat, ac moderetur. Primus o- *In Paneg. ad Tra.*

mnium hoc cognomẽ M. Tullius Cicero meruit Catilinæ coniuratione detecta,& vrbe incendio liberata. & cætera quæ in hanc ſententiam affert plurîma: & non immeritò Iuuenalis etiam idem Ciceroni tribuerit înquiens.

Roma Patrem patriæ Ciceronem libera dixit.

Hoc poſtea cognomẽ Diuo Auguſto vniuerſam ciuitatem maximo cõſenſu detuliſſe, idem Plinius pluribus verbis Author eſt. Subſequentibus verò temporibus Imperatores alij complures eũdem titulum ſibi ſumpſere populorum potius adulatione, quàm quod re vera tales exiſterent. Et ſanè vocabant illos populi patres patriæ, quò ſaltem iſthac appellatione, quales eſſe deberent, admonerentur. Principes enim qui ſe ſuis populis patres exhibent, illos humaniſsimè tractant, aſsiduis beneficijs cumulant, ab omni calamitate atque iniuria tutos reddunt, iniuſtis oneribus, iniquíſque tributis minimè grauant: denique ſi verè Chriſtiani ſint Princi-

pes

pes,externis huiuſmodi benefactis illud in primis addũt, vt integer Dei cultus in ſuis regionibus inſtauretur, impiæ doctrinæ, prauíque mores procul penitus abigantur, híſque cõtraria ſubſtituantur: quò nihil omnino, quãtum in ipſis eſt ad commodum felicémque reipublicæ ſtatum deſit: Ità Princeps pater patriæ, ſeu quod Homerus ait, ποιμὴν, id eſt Paſtor vocari potèrit, ſi quæ ſupra iam dicta ſunt re ipſa præſtet: periculíſque omnibus iuxta Socratis ſententiam ſeſe exponat: vel etiam vitæ diſcrimen cũ Athenienſium Rege Codro aut cum Horatio Coclite nõ vereatur adire, quò ſuos ciueis liberos ab aduerſariorũ Tyrãnide cõſeruet. Cæterũ in conferendis beneficijs opus eſt, vt benè cogitet Princeps quando, quomodo, & quibus det: Nam quemadmodum Benefacta malè locata Mimus Publicianus arbitratur malè facta, ſic è conuerſo idem inquit: Beneficium dignis vbi das, omneis obligas. Clazomenius Anaxagoras Periclem

De Principis magnificētia Anaxagoræ opinio.

clem instituens aiebat, Principis magnificentiam in quadam animi grauitate, cui comes beneficentia sit, esse sitam: cámque ad populorum beneuolētiam sibi conciliandam plurimū habere momenti. Id insuper beneficentiæ munus est, & quidē maximum, vt qui aliquod seruitutis officium præstiterint, ijs Princeps debita præmia profusè largiatur, vt ingratitudinis vitium sibi præcipuè detestandum, ac Persis etiam lege coercitum vitet. Quippe quum nihil tam Principem deceat, quàm liberalitas, sequitur illud nihil eum dedecere magis, quàm auaritiam, rapacitatem ac tenacitatem. Quocirca quum post acceptum imperium non suus amplius Princeps iam sit, sed sui populi, pro viribus illi conandum est, vt se totum suis omnibus iuuandis & dedicet, & exponat. Ad id efficiēdum alacriùs animabitur, si quæ sint veri boníque Principis Epitheta ex Iulio Polluce dil.gēter obseruet. Sunt autem huiusmodi. Pater, Mitis, Placidus, Lenis, Aequus, Humanus, Magnanimus,

Principē non suum sed suorū esse.

Veri Principis Epitheta.

nimus, Liber, Pecuniæ contemptor, Haud obnoxius affectibus, sibiipsi imperans, Dominans voluptatibus, Ratione vtens, Acri iudicio perspicax, Circunspectus, Valēs consilio, Iustus, sobrius, Numinum curam agens. Hominum negotia curās, stabilis, Firmus, Infalibilis, Magna cogitans, Authoritate præditus, Industrius confector negotiorum, Solicitus pro his, quibus imperat, Seruator promptus ad beneficētiam, Lentus ad vindictam, Certus, Constans, Inflexibilis, propensior ad iustitiam, Facilis aditu: Comis in congressu, Commodus alloqui volentibus, Blandus, Expositus, Curam habens suo parentium imperio, Amans militum suorum, qui strenue quidem bellum gerant, Sed qui bellum non affectet, Pacis amans, Pacis conciliator, Pacis tenax, Appositus ad emendandos populi mores. Qui Ducem agere norit ac Principem, Qui legis salutares sciat condere. Natus ad benemerendum diuina

ſpecie. Hactenus Pollucis ſententiam ſua traductione expreſsit Eraſmus, ac mox ſubintulit. Iam ſi Ethnicus moderator eiuſmodi Principem deformauit Ethnico, quanto ſanctius ſimulacrum proponi conuenit Principi Chriſtiano? Nunc quibus coloribus Tyrannum expreſſerit, attende. Nam malum Principem vituperat ad hunc modum Iullius pollux moderator Cæſaris. Tyrannicus, Crudelis, Efferus, Violentus, occupator alieni, Auidus pecuniarum, & quod verbum eſt apud Platonem, pecuniarum cupiens, Rapax. Et quod dixit Homerus, populi deuorator, Superbus, Elatus, Difficilis aditu, Incommodus ad conueniendum, Durus ad congreſſum, Incomis ad colloquium, Malè iracūdus, Irritabilis, Terribilis, Turbulentus, Voluptatum ſeruus, Intemperans, Immoderatus, Inconſideratus, Inhumanus, Iniuſtus, Inconſultus, Iniquus

Mali Principis cognomina.

quus, Impius, Mente carens, Leuis, Et qui facile decipiatur, Malè facilis, Immitis, affectibus deditus, Incorrigibilis Contumeliosus, Bellorum Author, Grauis, Molestus, Incohercibilis, Intolerabilis. Quum Deus longissimè absit à natura Tyranni, verisimillimum est illi nihil inuisius esse pestilente Rege: Quũ nulla Bellua nocentior sit Tyranno, consentaneum est nihil inuisius esse mortalibus omnibus, quàm malum principem. Quis autem vel viuere cupiat, superis & hominibus pariter exosus & execratus? proinde Octauius Augustus vbi sensisset caput suum crebris coniurationibus peti, & alia oppressa, protinus & alia succederet, negauit tanti esse viuere, vt omnibus inuisus, incolumitatem suam tot ciuium sanguine tueretur. Idem Erasmus ait: vt oculi est videre, aurium audire, narium olfacere, ità principis est populi rebus consulere: At non potest alia re melius consulere quàm sapien-

tia: Ea si careat Princeps, non magis cõsulet reipublicę, quàm oculus videbit obcæcatus. Xenophon in Oeconomico libello scribit, diuinum potius quàm humanum imperare liberis, ac volentibus. Sordidum enim imperare mutis animantibus, aut coactis mancipijs. At homo diuinum est animal, ac his liberum, primum natura, deinde legibus. Ideoque summę virtutis est, ac planè diuinæ regere, sicque temperare imperiũ vt beneficium sentiat populus, seruitutem non sentiat. Duę potissimum res sunt, vt in Politicis tradit Aristoteles, quæ subuertunt imperia, odium & contemptus. Odio opponitur beneuolentia: Contemptui authoritas. Itaq; Principis partes erunt, diligenter obseruare, quibus hæc parentur, illa vitentur. Odium conflatur sæuitia, violentia, contumeliis, morositate, difficultate, rapacitate. Et facilius concitatur odium, quã excitatum placetur. Modis omnibus igitur cauendum bono Principi, nequa occasione à charitate suorum excidat.

Xenophõ quid sense rit de Principibus.

Duo potissimũ Aristoteli subuertere imperia.

Crede

Crede obseruande, magno Satellitio nudatur, qui fauore populi (vt iam diximus) restituitur. Contra beneuolentia multitudinis conciliatur his moribus, vt dicam in genere, qui plurimum absint à tyrannide, clementia, Comitate, Aequitate, Ciuilitate, Benignitate. Benignitas extimulat ad officium, præsertim si conspexerint iis esse præmium apud Principem, qui de Republica bene mereantur. Clementia malè sibi, conscios inuitat ad meliorem frugem, dum veniæ spem ostendit iis, qui superioris vitæ errata nouis officiis studeant pensare: Grata interim & integerrimis, contemplatione naturæ humanæ. Ciuilitas vbique aut amorē gignit, aut certè lenit odium. Verum ea in magno Principe longè gratissima multitudini. Sed hæc hactenus. Iam & illud obseruet Princeps ne quosdam veluti fucos alat, qui per speciem religionis ocio sam ducere vitam quærunt. Igitur cum Masilienſibus id efficiat potius *Quid Massilienses cum iuuenibus fecerint.*

vt Iuuenes varias arteis exerceant. Mercaturæ dent operam, vt pro cuiusque conditione commoda sit rei parandę ratio, ne forte aliqui nimia indigentia coacti, vel ad furta vel etiam ad alia iniquiora facinora manus apponant. Eò fiet, vt non modo populorum maiorem sibi conciliet beneuolentiam: Sed eos quoque sit pacificè iustè honestè ac piè moderaturus.

PRINCIPI E SVA *ditione debere prouentus Quos tamen neque inutiliter expendi, neque in homines indignos distrahi conuenit: præterea non esse illi ab vllo aliquid eripiendum, vt alteri donet.*

CAP. XXIX.



Voniam Principem vt iam supra dictum est, liberalem esse decet, neque suis parcere bonis, vt populo prodesse posit, Idcirco constitutos habet prouentus ex ordinariis tributis ac vectigalibus, quemadmodum illi sacræ etiam literę concecedunt. Nam si nihil è publicis redditibus acciperet, nullam posset erga suos beneficentiam ostendere. *Rom. 13.*

Verùum enimuero in ipsa magnificen tia præstanda rectè consideret Princeps & quomodo,& quando,& quibus det,ne dum vni prodesse cupit obsit alteri. M. Tullius hac de re suis in officiis ita loquitur: Videndum est, vt ea liberalitate vtamur,quæ prosit amicis,nemini noceat. Quare L. Syllę,& C. Cæsaris pecuniarum translatio à iustis dominis ad alienos,non debet liberalis videri: nihil est enim liberale, quod non idem iustum. Hique arbitrantur se beneficos in suos amicos visum iri,si locu pletent eos quacunque ratione. Id autem tantum abest ab officio, vt nihil magis officio posit esse contrarium. Præterea cauendum ne nimia liberalitas in prodigalitatem degeneret,atque inde fiat, vt ipse postmodum egere in cipiens, imprudentiæ meritò arguatur,suisque contemptui sit. Insuper videat Princeps ne ingratos,aut Sardanaplos ditet,qui sua ipsius abutantur liberalitate: Neque gloriæ tantum

cupiditat

cupiditate sit profusus in quoslibet: quod idem M. Tullius itidem reprehendit, inquiens. Videre licet plerosque non tam natura liberales, quàm quadam gloria ductos, vt beneficia videantur facere multa, quæ videntur magis proficisci ab ostẽtatione, quàm à voluntate: Talis autem simulatio vanitati coniunctior est, quã aut liberalitati aut honestati. Beneficus igitur sit in suos omneis ipse Princeps natura duce, comite studio, vt pastoris instar vel potius partis omnibus prosit, quacunque tandem ratione id efficere possit. Cæterũ quum illi res est hac in causa cum gratis hominibus, qui receptorum beneficiorum memores quoquo modo gratiam referre student, abundantius largiatur. De gratis enim huius generis hominibus idem Cicero sic habet: De beneuolentia, quam quisque habeat erga nos, primum illud est in officio, vt ei plurimum tribuamus, à quo plurimum diligimur. Sed beneuolentiam non adolescentulorum more ardore

quodam amoris, sed stabilitate potius & constantia iudicemus. Sin erunt merita, vt non ineunda, sed referenda sit gratia, maior quędam cura adhibenda est. Nullum enim officium referenda gratia magis necessarium est. Quod si ea, quæ vtenda acceperis, maiore mensura, si modo possis iubet reddere Hesiodus, quidnam beneficio prouocati facerę debemus? An non imitari agros fertileis, qui multo plus afferunt, quàm acceperunt? Etenim si in eos, quos speramus nobis profuturos non dubitamus officia conferre, quales in eos esse debemus, qui iam profuerunt? Nam quum duo genera liberalitatis sint, vnum dandi beneficium, alterum reddendi, demus necne, in nostra potestate est: non reddere bono viro non licet, si modó id facere possit sine iniuria. Hactenus Cicero. Cui quidem etiam si videatur in nostra esse potestate non dare, tamen ausim affirmare, id Principi vix licere, qui nulla re magis, quàm largitione populorum sibi

Hesiodus.

Duo genera liberalitatis Ciceroni.

an

animos deuincit: id quod Pyrrhi Philippi & Alexandri Regum exemplo facilè comprobari poteſt, vt interim de quamplurimis alijs nihil dicam. Pyrrhus nanque ſua munificentia cõplures vrbeis ſibi conciliauit. De Philippo autem dictum eſt, Non Philippũ, ſed Philippi aurum Græciam ſubiugaſſe. Alexandri verò liberalitas tanta extitit, vt non æquo animo ferret à quoquam ſua munera recuſari, quod in Athenienſi Phocione, qui centum talenta ab ſe illi dono miſſa noluit accipere liquidò demonſtrauit. Horum igitur ac ſimilium ſi veſtigijs inſiſtent Principes, odioſo auaritiæ crimine vitato, liberalitatíſque grato nomine conquiſito, euadent ſuis omnibus chariſsimi.

Pyrrhi, Philippi, atque Alexandri liberalitas.

AD PRINCIPIS MAGNIficentiam ac generositatem pertinere non modo suas, verum etiam sibi fœdere coniunctorum Prouincias tueri, quoties iniustè ab hostibus infestãtur.

CAP. XXX.


AGNANIMOrum Regum, potentiúmque Rerumpublicarum partes sunt vt non seipsos tantũ, sed & socios fœderibus coniunctos ab hostium insectationibus iniquis defendere, pręsertim quũ periculum imminet, vt in ipsorum hostium ditionem iniustè deueniant. Eximium specimen huius bonitatis imperium Romanũ olim prębuit, de quo M. Tullius ità scriptum reliquit. Quandiu imperium populi romani beneficijs tenebatur, non iniurijs, bella aut pro

Suis in offic.

pro ſocijs, aut de imperio gerebantur: exitus erant bellorum aut mites, aut neceſſarij: Regum populorum, nationum portus erat, ac refugium Senat⁹. Noſtri autem Magiſtratus, Imperatoréſque ex hac vna re maximam laudẽ capere ſtudebant, ſi prouincias, ſi ſocios æquitate & fide defendiſſent. Itaque illud patrociniũ orbis terræ veriusquàm imperium poterat nominari. Senſim hãc conſuetudinẽ & diſciplinam iã antea minuebamus, poſtremo Syllę victoria penitus amiſimus. Hæc M. Tullius. Quæ licet ex plurimis ipſorum Romanorum hiſtorijs manifeſtiſsima ſint, vel vnius tamen Flaminij factũ in vniuerſa Græcia liberanda ſatis ſupérque iudicio eſſe poteſt. Vt interim prætermittam quàm benignè ſe geſſerint in defendendis Iudæis, vt in primo Machabæorum libro diffuſiſsimè continetur. Quid? an non & Ioſua Gabaonitis olim ſuppetias tulit, quum obſiderentur ab hoſtibus? ob id modo, quod ſibi fœdere licet fraudibus impetrato con-

Flamini⁹.

Cap. 8.

Ioſ. 10.

iuncti essent. Nec solum exempla sed & præcepta sacræ nobis literæ subministrant, quibus ad beneficentiam charitatémque præstandam amicis æquè atque inimicis iure cogimur. Nanque sic inquiunt: Si inimici tui asinum videris oneri succubuisse, ne ei auxilium denegato, sed opitulator. Si conseruandis huiusmodi minutulis rebus curam adhibere iubemur, quanta obsecro solicitudine Ciuitates, Regna, Respublicas, quæ maximi momenti sunt res, curare & conseruare debebimus, quoties ab hostibus opprimuntur iniustè? Circumuenitur viator aliquis à latronibus, grassatur ignis in propinquas ædeis: Inuadit lupus in gregem aut armentum, concurrunt vndique viciniores, vt oppressis opem ferant. Si naturali quodam instinctu ad hæc priuata officia indigentibus præstanda ducimur, quanto maiore studio publica rebus itidem publicis egentibus tenemur exhibere? Quod si hæc efficiendi nulla penitus adesset alia ratio, id sal-
tem

tem Principes mouere deberet, vt se beneficos ac liberales in aliorum necessitatibus prouidendis ostendendo, magnanimitatis ac iustitiæ sibi nomen acquirant, ociosæ vitæ infamiam fugiant, vt etiam M. Tullius consulit, inquiens, Magis est secundum naturam pro gentibus, si fieri potest, conseruandis aut iuuandis maximos labores, molestiásque suscipere, Imitantes Herculem illum, quem hominum fama beneficiorum memor in Concilio Cœlestium collocauit: quàm viuere in solitudine non modo sine vllis molestijs, sed etiam in maximis voluptatibus, abundantem omnibus copijs &c. At enim quàm pauci sunt hodie Principes, qui ità sint affecti, vt Herculẽ in persequẽdis Tyrannis hominum monstris imitari studeant, suísque solummodo contẽti sint. Quod si tales eorũ aliqui sunt, vt à bellis abstinere nõ valeãt, expeditionẽ in Turcas parẽt, qui plurimas Christianorũ prouincias iniusto titulo pos-

ſident, atque inde ſibi quantum libuerit, ditionis accipiant, imperiíque fineis arbitratu ſuo circunquaque dilatent.

IVSTITIAM DIVINAM *ſemen eſſe in pectoribus hominum ſatum.*

CAP. XXXI.


XISTIMAuit Anaxagoras Homerum in id poëma ſuũ compoſuiſſe, vt optimi Principis inſtitutũ oſtẽderet, iuſtéq; adminiſtrãdi dominatum ꝓponeret. Iouis igitur diſcipulos Principes vocat, qui Deorũ inſtar iuſtitiã & ipſi ſeruent, & alijs obſeruandam exhibeant. Plato itidem dixit, optimum in hominibus eſſe iuſtitiam. In ſua nanque republica fuiſſe hanc ab altiſsimo rerum omnium Monarcha Deo productam indicat. Quod illi commune eſt cum mul-

Platonis dictum.

tis

multis aliis doctissimis viris qui hanc cœlestem esse virtutem autumant humanis à Deo mentibus insitam, vt inde numini præcipuum honorem ac reuerentiam ferrent. Marcus item Tullius in suis legibus idem frequēter affirmat. Officiū igitur duplex continebit iustitia, vt & cultu debito veneretur Deū, & charitate non ficta prosequatur homines. Hanc Cicero suis in officiis, multas in species diuidit: de quarum aliquibus nos hîc nonnihil dicemus, ita nihilominus, vt ab ipsius definitione prima nobis instituenda sit oratio. Aristoteles itaque sic hanc definit, vt eam dicat habitum esse quendam, per quem iustorum operationes fiunt: & per quā agunt, & volunt res iustas. M. vero Tullius hanc esse virtutem ait, qua singuli sua secundum leges possident, suam cuique tribuens dignitatem. Cuius quidem virtutis laudes hîc satius fuerit silentio præterire, quàm de ipsis pro sua dignitate non loqui. Tantam enim secum sublimitatem affert, vt etiam in-

Iustitiæ duplex officium.

Iustitia.

ter latrones venerabilis habeatur: vt non hîc referam plurimorum tam priuatorum, quàm publicorum hominum exempla, qui hac ipsa quondam æquissimè vsi, immortalem sibi gloriam pepercre. Iam, vt dictum est supra, sunt qui iustitiæ plureis parteis attribuant.

Iustitiæ plures partes.

Ac primam quidem diuinam, Secundam verò naturalem, Tertiam autẽ ciuilem, Quartam sanè iudicialẽ vocẽt. Diuinã porrò esse aiunt, quã Deus ipse mortaliũ mẽtibus inserat, sic inquã, vt per hãc reliquis omnibus animantibus præferẽdi sint, atq; inde fiãt, quoad eius fieri potest, ità similes Deo, vt non nisi pietatẽ, innocentiã, veritatem, sanctitatémque sectẽtur. Naturalẽ autẽ eã esse iustitiã dicũt, quę cũctis quidẽ animãtibus, nõ ex æquo tamẽ omnibus ab ipsa natura donetur, vt videlicet se omnes ac suos fœtus enutriant, ac tueãtur, seruandæ posteritatis curã habeãt. Socratici phi'osophi iustitiã naturalem esse inquiũt, æqui, rectíque notitiã, quã si sua sponte quis ad vsum atq; exercitationẽ trans

trãsferat, vir probus euadat, multò pro bior etiam futurus, si alios quoque idẽ efficere doceat. Ergo quãdiu per se homines iustitiã nõ exercent, suaueis eius fructus non nisi per quandam imaginationem percipiunt, si verò per seipsos operã operibus iustitiæ nauẽt, eò maiorẽ felicitatem nanciscentur, quò virtus eiusmodi circa difficiliora versabitur. Ciuilẽ verò iustitiam esse inquiunt, rectam Magistratuũ administrationẽ, quæ sibi subiectos accuratè, moderatéque regat: ab iniurijs tueatur: Vnicuíque quod suum est tribuat. Pro personarum meritis munera dispenset: Mala denique omnia pro viribus amoueat, bonáque omnia introducat. In primis igitur curæ debet esse Principibus, qui hãc administrandã susceperũt, vt malos in religionem inuectos mores amolian tur, temperatè tamen id fiat, ne contingat inde tumultus aliquos excitari: Mox verò & reliquæ consuetudines prauæ tollantur è medio, ne perditos homines omnino perdãt. Quod à Xer-

se cum Babiloniis non solum non fuisse factum, sed potius licentiam fuisse introductam iusta reprehensione non caret. Ad hęc Principes neque iniuria quēquam afficiant, ipsi, neque ab aliis affici patiantur, sed iniuriosis in proximos nequaquam parcant. Duo iniustitiæ genera recensentur à M. Tullio. Vnum eorum, qui inferunt: Alterum eorum, qui ab iis quibus infertur, si possunt, non propulsant iniuriam. Nam qui iniustè impetum in quempiam facit, aut ira, aut aliqua perturbatione incitatus, is quasi manus violenter videtur afferre sociis: Qui autem nec defendit, nec obsistit, si potest, iniuriæ, tam est in vitio, quàm si parentes, aut amicos, aut patriā deserat. Quod ad eam quoque sententiam comprobandam facit, quam paulo supra iam diximus, debere videlicet Principis iniuriis suorum propulsandis insistere. Superest vt de iudiciali Iustitia iam aliquid etiam dicamus, quam ad ius reddendum pertinere existimāt: Aequū hæc ab iniquo per leges discernit,

Iniustitiæ.

nit, ſic inquam vt Epicurei dicāt, res nō
natura, ſed legibus aut iuſtas, aut iniu-
ſtas fieri, quæ quidem leges virtutem in
hominibus requirant. Idem Socratis
præceptor Archelaus in ſeipſo iam ſen
ſit. Iudiciales porro leges, eas eſſe di-
cimus, per quas iudex iuſtum ab iniu-
ſto ſecernit. Et licet priuati quoque hō
mines has eaſdem ſequentes, ita pra-
uos temperent affectus, vt in nefas nōn
facilè ruant. Magiſtratus tamen per il-
las multo magis ſontium omnium erra
ta corrigit: quum ſit ipſe veluti viua lex
quæ iuſtè grauiterque diſponit omnia: *Iuſtitiæ*
Vt nō immeritò iuſtitię ꝓpoſuerit imā *imago per*
gine Chryſippus, quemadmodū refert *Chryſip-*
A. Gellius, in hanc formam. Dicitur *pum,*
virgo eſſe, iudicio eam eſſe incorruptā:
improbis nunquam concedere: non ora
tionem modeſtam, non precationem,
non adulationem, non denique quic-
quam aliud pati. Quas ob res meritò
triſtis etiam ac contracta fronte pingi-
tur, cultu graui, aſpectu contento & tor
uo, vt iniuſtis terrorem incutiat, iuſtis

fiduciam præbeat: quando huiusmodi facies iustis grata, iniustis molesta est.
Lib. 14. Cap. 4. Hæc A. Gellius ex Chrysippo. Quàm verò iniqua nonnulli de iustitia, déque legibus senserint, à Deo lata lex per Mosem facilè indicat, quę veram iustitiam aliunde quàm ex naturæ viribus prouenire contendit. Consultò prætermisi eo de iustitiæ genere hîc loqui, quod Principes exercere debēt, in suis æquabiliter ab iniuria defendendis: in procurando quæ tum necessaria tum opportuna sint populis: in rectè distribuendis & muneribus & officijs, ac præsertim quæ ad religionem pertinent, propterea quòd ijs de omnibus alibi quoque hoc in volumine dictum iam sit.

QVANTI MOMENTI SIT *fides: Et quàm vituperabile ſit nõ ſtare promiſsis.*

CAP. XXXII.


VSTITIAE fundamentum fidem eſſe M. Tullius arbitratur, ſine qua nec reliquæ virtutes, virtutes putandæ ſunt. Quid autem iniquius quàm eum decipere, qui tibi fidat? Quid magis impiũ quã Deũ fallere, quẽ tuis ꝓmiſsis adhibueris teſtẽ? præſertim vbi agitur de iure publico. Nihil enim eſt aliud iuſiurandum quàm affirmatio religioſa, quã qui violat, is fidem violat, quæ proximũ in Capitolio Ioui locũ tenet. Quãta in veneratione habiti ſint, apud Siculos Palici Iouis Thalia ex Nympha filij, ob iuriſiurandi religionem, teſtis eſt ſacra ædes illis propter eam cau-

ſam dicata. Aegyptios fama eſt capite puniſſe periuros. Varijs autem iuriſiurandi formulis vſos fuiſſe antiquos notius eſt, quàm vt hîc referri debeat, quemadmodum Herodotus de pluribus gentibus annotauit: Diuerſos quoque fuiſſe mores in feriendis publico iuramento fœderibus compertiſsimũ eſt; quibus quidem qui non ſtetiſſent, vt pactorũ, promiſſorúmque violatores ingentibus deuouebantur ſupplicijs. Sed Chriſtianis datam fidem in rebus honeſtis non ſeruaſſe tam publicè, quàm priuatim, adeò iniquum fuerit, vt iure meritò Deus ipſe criminis huius reos grauibus afficiat pœnis. Quemadmodum etiam in veteri

2. Reg. 21. teſtamento cum Saulo; qui fidem Gabaonitis præſtitam non ſeruauit, factũ fuiſſe teſtantur ſacræ literæ. Idẽ & pro-

Pruſias. fanæ de Pruſia Bithyniæ Rege oſtendunt: qui ob fidem quam Annibali dederat, violatã àb Nicomede filio pulſus Regno miſeram obijt mortem. Quid? Tarquinij ſuperbi perfidia, qui Seruio Tullo

Tullo socero Regnum abstulit? an non debita sceleri suo recepit præmia? Sed nimis hîc longum fuerit ex historijs omnibus facinoris huius exẽpla referre velle, quæ quum priuatis tum publicis in negocijs fraudulenter, infideliterque peractis acciderũt. Verum vt æquũ non est quenquam per fidem aut simulatam, aut non seruatam decipi, sic è cõtrario par est, neminem esse tam socordem, vt sibi temerè patiatur imponi. Aspurgitanorum aduersus Polemonem Regem prudens actus, documento cæteris esse potest, quàm non sit inutile, non nũquam cretizare cum Cretensibus. Nam qui paratus est alios circumuenire fraudibus, nullo iure conqueri potest, si aliquãdo ipse quoque circumueniatur ab alijs. Cæterum ea est adhibenda fidei reuerentia, vt etiam ius bellicũ (quod ait Cicero) fidésque iurisiurandi sæpe cum hoste seruanda sit. Quis autem æqui honestíque amans Parthorum cõsuetudinem probet, qui rem turpem stare promissis arbitrabã-

Parthorũ iniqui mos.

tur? quum viri fortis esse putarent ac prudentis, omnia fraudulenter ac violenter agere. At longè diuersus mos Romanis fuit, qui multò præstabilius virtute vincere, quàm dolo existimabant: quod præsertim ex T. Camilli, & C. Fabritij dignissimis exemplis videre licet. Etenim de Fabritio seorsum refert M. Tullius libro officiorum tertio talem narratiunculam. Quum Rex Pyrrhus populo Romano bellum vltrò intulisset, quúmque de imperio certamen esset generoso cùm Rege ac potente, perfuga ab eo venit in castra Fabritij, éique est pollicitus, si præmium sibi proposuisset, se, vt clam venisset, sic clam in Pyrrhi castra rediturum, & eum veneno necaturum. Hunc Fabritius reducendum curauit ad Pyrrhum: idque eius factum à Senatu laudatum est. Hucusque Cicero. Pœni verò ità leue ducebant fidem frangere, vt iam abierit in prouerbium, Agere punica fide


nihil aliud esse, quàm decipere. quod vel ex Annibalis Carthaginensis operibus liquet satis, vt de Amilcare nihil dicam. Romanorum autem fidei tantus honos est habitus, vt Aegypti Rex Ptolomæus è viuis discessurus populum Romanum testamento tutorem paruulo adhuc filio, quem hæredem instituerat, reliquerit. Verumenimuerò multa hîc tam fidelitatis, quæ laudem, quàm infidelitatis, quæ vituperationem promerentur, exempla sciés prudénsq; prætereo, ne in re manifestissima diutius immorandum sit. Hoc tantum addam, eius esse generis infamiam, quæ ex fide non seruata, quæ ex periurijs, quæ ex imposturis nascitur, vt nullo smigmate vnquam amplius abstergi queat. Nec vllus Princeps, aut Respublica, quæ huiusmodi maculis infecta sit, amicitiam cum alijs Principibus initam, fœdúsue contractum diu seruare poterit. Denique vt Musarũ quoq; sententiam

tiam hac de re coronidis vice subiungerem libuit hîc paucula quædam carmina supra iã dictis rebus ascribere. Sunt autem huiusmodi:

Mortaliũ quisquis es amator integer
Pacis bonæ, atque osor malæ discordiæ:
Purámque candidámque seruato vndique
Fidem: neque flectas ad sinistram, aut dexteram:
Ne si aliquãdo deserere hanc ipsam pares,
Aduersa te tuósque fortuna impetat.
Quæ iure meritò persequitur sic perfidos,
Vt non queãt securi esse vsquã gentiũ.
Quin & agitant Furiæ hos malorum vindices:
Faciúntque, vt eorum quisque sit Erebus sibi.

PRINCIPI CVRAM HAbendam esse, vt non modo sibi subiectos populos verùm etiã alios Principes, exterásque nationes amicitia sibi deuinciat: Deuinctósque postea temerè non offendat.

CAP. XXXIII.



ARVM omnino Principibus prodesset munitissimas habere prouincias, nisi populorum beneuolẽtia cõseruandas curarẽt, Aliorúmque Principum amicitiá, exterarúmque nationum societate contracta defenderẽt. Amicitiã autem dico, quæ fidem ac iustitiam sibi coniunctam habeat: quod ea tantum, quæ inter bonos conflatur, vera demũ amicitia sit. Hæc nanque vt mutuis animorum consensibus paratur, sic non nisi quæ recta sunt, tutari solet, vt non minus Ciceroni, quàm Aristoteli placuit. Contra verò

quæ inter prauos fit societas, vt prauis item affectibus conciliatur, ità denique dissidentibus animis propriæque vtilitati solummodo intẽtis durare diutius nequaquam potest. Atenim quæ veræ sunt amicitiæ vincula, siue publicos, siue priuatos homines complectantur, vsqueadeò tenacia sunt, vt etiam sanguinis propinquitati non cedant. Id quod Solomon quoque comprobat inquiens: Hæret interdum magis amicus quàm frater. Huius autem amicitiæ synceræ ingenium tale est, vt amici bonis æquè gaudeat, atque suis: malis verò non secus ac proprijs doleat. Porrò complures etiam inter neotericos docti viri treis in parteis hanc ipsam amicitiam distinxere, nimirum in Ciuilem, Naturalem, atque Hospitalem, vt ex ipsorum voluminibus editis, quæ istiusmodi de re pertractant, videre licet. M. Tullius quum in Amicitia sua de priuatorum hominum societate quamplurima disertissimè disputet, huc tandem euadit, vt dicat:

Prou. 18.

Treis in parteis amicitiæ diuisio.

Quum

Quum omni ratione animóquelustraueris, omnium societatum nulla est gratior, nulla charior, quàm ea, quæ cum Republica est vnicuique nostrũ. Chari sunt parentes, chari liberi, propinqui, familiares: Sed omnium charitates patria vna complexa est: pro qua quis dubitet mortem oppetere, si ei sit profuturus? Si ciues hoc inter se ob seruandam patriam efficere debent, cur non idem efficiant cum fœdere sibi con iunctis Principibus ac Regibus? quorũ opportunis auxilijs fit, vt séque suáque omnia commodius tueantur? Cauendum tamẽ ne nimia familiaritas (quod prouerbio dici solet) inter amicos contemptũ pariat: aut nimia facilitas ad cõ trahendã pro leuiore quauis causa indignationem amicorum animos alienet. aut ficta proprij alicuius commodi nãciscẽdi gratia simulatio magno labore sutã amicitiã dissuat. Iniquum etenim foret, intimam illam coniunctionem, quæ focos & aras communes habet, quolibet prætextu temerario violare.

Omni

Omnino vt sola virtus amicitiæ veræ fundamentum est, ità quæ alijs de caussis copulatur amicitia minimè diu stabilis esse cōsueuit. In primis autem id euenire solet ijs, qui tātum amicitias (vt ille ait) vtilitate probant: De quibus etiā
Cap.6. Ecclesiasticus inquit: Est amicus mensarum socius, qui in tuis difficultatibus non maneat. Rebus quidem tuis secundis erit alter tu: & in tuos domesticos vtetur libertate: Quod si fueris deiectus, erit tibi contrarius, séque tuo conspectui subtrahet. Hoc idē nonnulli potius adulatores quàm amici cum Principibus faciunt: Qui quandiu aut munera, aut officia, aut pensiones ab eis habere se sperant; tam diu sese amicos esse ostēdunt. Atque hi nonnunquam Rebuspublicis maximopere nocere solent: Vt de
Super Matth. Cap.14. Homil.50. ijs Chrisostomus dicat: Non retineas amicos damni magistros: non retineas amicos mēsæ magisquàm amicitiæ cupidos. Hi omnes, crede mihi, nisi delitijs distumparis, non erunt tibi amici. Qui verò virtutis gratia tecum viuunt,

erunt

erunt cõtinui, etiã si aduersa fortuna re flauerit. Nolim tamẽ hęc sic accipi, vt inhumanum debere Principem esse censeam, quum nihil magis illũ, quàm humanitas deceat, quæ non tantum amicos amiciores illi faciat, sed hosteis quoque nonnunquam in amicos vertat. Cuius rei magnificum exemplum in Chisæ Duce atque ipsius fratre viris illustrissimis apud Valentiam Galliæ vrbem editum habemus. Qui quum oppidum illud obsideret, duásque Rhætorũ militum cohorteis in eo contineri accepisset quæ contra Rhętici Magistratus edictum Cæsareo sese commiscuerãt exercitui, quod Rhætorum gentem sciret in vniuersum Gallis fœdere coniunctam esse, per publicum nuntium ipsis cohortibus indicauit, si vellent ex vrbe spatio temporis constituto se ad Gallos conferre, id illis impunè ac tutò penitus licere, alioqui cum alijs vrbe capta interficiendos esse. Qua in re quantum valuerit amicitiæ societatísque ratio animaduertere facilè possumus. At sit

hoc de publicis rebus dictum. Priuatæ verò an non habent & ipsæ suam laudem? Quænam ætas non celebrat amicorum veterum aliquot paria? vt puta Dauidis ac Ionathanis: Thesei ac Pirithoi: Orestis ac Pyladis: Damonis ac Pythiæ indiuiduam atque inseparabilem societatem? Sed de his aliâs. Verùm vt huic etiam capiti Colophonem addam: Caueat Princeps ne veteris amicitiæ fœdera temerè nouis commutet.
Cap. 9 Hac in re magis Ecclesiastici monitionibus obsequatur, qui ait. Amicum veterem ne deserito: nam recens ei par non est. Vinum nouum, Amicus nouus si inueterauerit, id cum voluptate bibes.

CONC

CONCORDIAM AMANdam esse Principi: Neque nimium illi fidendum suis viribus, Quũ omnium rerum vicissitudinem esse videat.

CAP. XXXIIII.



VNT nationes aliquot admodum bellicosæ, quæ pertractandis armis continuam operam nauẽt. Verùm eæ si quanti sit momenti concordia rectè perpenderent, fortasse bellorum tumultibus atque incendijs vale dicerent: pacémque cum omnibus (quod in ipsis est) habere studerent. Nam concordia, vt ille ait, paruæ res crescunt: Discordia maximæ dilabuntur. Quod animaduertẽtes optimè Galliarũ Henricus & Hispaniarũ Philippus inuictissimi Reges, lõgis inter se dissidijs iã cõpositis, pacẽ ità

complexi ſunt, vt per affinitatis etiam iucunda vincula hanc eandem ſanxerint. Quantum verò boni ſecum afferat concordia, Leontinus Gorgias ad Græciæ diſcordeis olim inter ſe Ciuitates facundiſsimè ſcripſit: quemadmodum & Demetrius Magneſius de Romanorum ſimultatibus ad Pomponiū Atticum. Qui autem diſcordia bellorum parente, aut auaritiæ, aut alterius cuiuſuis affectus vitioſi cauſa delectantur, merentur illi quidem acrem ſanè reprehenſionem, propterea quod & ſeipſos & alios, nonnunquam etiam totam patriam in ruinam trahunt. vt Iudæis duræ ceruicis hominibus teſte Ioſepho ſępius accidit: neque enim tam facilè martiæ flammæ reſtingui, quàm excitari ſolent. Et quāquam interdum ipſa bella cœlitus ad hominum caſtigāda peccata demittātur, nihilominus tamen quia diuina iudicia plerunque nobis occulta ſunt, nihil omnino prætermittere debent Principes ac Magiſtratus, quod & ad peſtem huiuſmodi propul-

De bel. Iud. lib. 2. Cap. 16.

propulsandam,& ad suas regiones vndique tutandas faciat. Non se temerè periculis,vt fortes habeantur, exponát, Nam vt Mimus ait,

Non citò ruina perit vir, qui ruinam timet.

Et. M. Tullius nunquam periculi fuga committendum est, vt imbelles timidíque videamur: Sed fugiendum etiam illud, ne offeramus nos periculis sine causa, quo nihil potest esse stultius.

Tecum habita: sempérque tuas vigil aspice vireis.

Non est fortis, inquit Vitus Amerbachius,qui nihil timet,sed timenda timere, non timenda contemnere conuenit. Fabius maximus cunctando potius, quàm pugnando victor euasit. Idem Antigonus fecit cum Pyrrho Rege.Contra verò nimia suijpsius confidentia, multos præcipites egit. Sunt qui quum se maximè tutos putent, in maxima tunc præcipuè incurrant pericula:quemadmodum eueniffe De-

In Histor. Macha. li. 1. cap. 8. metrio Iosephus ait. Homines enim (inquit ille) ante malorum peritiam vtilitates suas non intelligunt, sed cùm in malis fuerint constituti, tunc mente percipiunt, & agunt, quæ nihil læsi facere debuerant. Imperiorum vicissitudines obseruentur, & quo pacto Regnum hoc excidat, illud exurgat, & qui modo imperabant, nunc seruire cogantur, & è conuerso. quod in Persarum, Macedonum, Romanorúmque Monarchijs, vt intérim minora Regna Ditionésque prætereram, videre nunc licet. Non est igitur, vt Principes rebus nimium secundis extollantur, quum varijs casibus omnia esse subiecta conspiciant. Hactenus de viribus externis, ac de corporis fortitudine dictum est: nunc reliquum esse videtur, vt de animi quoque robore nonnihil loquamur. *Fortitudinis animi Definitiones variæ.* Hanc itaque animi fortitudinem diuersimodè multi definiunt. Socrates eam esse dixit, scietiam, quę doceat, res formidabiles non extimescere, periculosas euitare. Chrysippus fortitudinem

esse

esse rerum aduersarum tolerantiam arbitratur. Aristoteles medium quoddã hanc esse ait inter nimiam audaciam, ac nimium timorem. M. Tullius illam sic describit. Fortitudo est considerata periculorum susceptio, & laborum perpessio. Fortitudo est conseruatio stabilis iudicij obsequentis rationi. Propriũ fortitudinis est in rebus arduis esse constantem, præsertim verò vbi vitæ discrimen incurrat, quemadmodum in bellis fieri consueuit, in quibus præsentẽ intẽtãt omnia mortẽ. Cõiunguntur in nonnullis animi fortitudo ac vireis corporis, vt in Sãpsone, in Hercule, ínque alijs quãplurimis cernere est. Quis nõ miretur Leonidæ pectus inuictũ apud Thermopylas? Quatuórq; Atheniensium in Marathonia pugna? Quis non laudet Scæuolæ constantiam, Syllæ tyrannidi sese opponentis? Vtinam Rerumpublicarum, quæ Christo nomen dederunt, Senatores aliquot eadem essent animati constantia in religionis causa liberè defendenda, quum non modo Principes, verùm etiam Senatores, ac

De Leg. Lib. 1.

De inuẽt. Lib. 2.

Fortitudinis proprium.

Iudices intrepidos esse oporteat, in omnibus quidem sententijs ferendis, at præcipuè in religionis ipsius honestissimis causis, vt hac de re supra quoque iam diximus. Perpaucos tamen esse crediderim, qui sapientiæ coniunctam fortitudinem habeant, vt æquum est pareis has incedere. Id Aristomeni Messenio, cui cor pilosum fuisse ferunt, contigisse credibile est, aut etiam Tritano Samniti, quod nihilominus Crotoniatę Miloni nō contigit, quum ausu temerario interierit. Quid autem dicemus de animi fortitudine illa, quæ in causa religionis ostenditur? Quis non hanc summopere commendet? qualem extitisse in Iobo, in Apostolo Paulo, innumerísque alijs diuinæ literę contestātur. Sed vt ad Principū fortitudinē reuertamur: id in primis illos decere arbitror, vt ne despondeant in rebus aduersis animum, Sed Annibalē, Marium, Sertoriū, alióſque cordatissimos Duces æmulentur, qui nunquam reflāti fortunæ cedere consueuerāt, quod il-

lis erat eò facilius factu, quod difficilibus atque asperis rebus iàm inde vsque à pueritia consuefecerant animum, vt Cimbros ac Celtiberos transeam, quibus mortis omnino nullum genus formidolosum erat.

NIHIL ANIMI FORTITVDINI *similius quàm Audaciam arrogãtem esse, quum tamen hæc Duces atque exercitus in maxima discrimina frequenter inducat.*

CAP. XXXV.



XTRINSEcam similitudinem quandam cùm animi fortitudine temeraria habere videtur audacia, quum tamẽ veræ fortitudini penitus contraria sit, vt quę nõ modo pericula nõ cõsideret

aut euitet, sed ad hęc incautè subeunda vel sine causa nonnunquam aggrediatur. Quamobrē Cicero de hac ipsa sic ait. Temore autē in acie versari, & manu cū hoste confligere immane quidē & belluarū simile est, nec iudicū fortitudinis est. Sed quū tēpus necessitásque postulat, decertandū est, & mors seruituti turpitudiníque anteponenda est. Archidam⁹ Lacedæmoniorū Princeps filio pugnā aduersus Athenienses præcipitanti dixit, aut vires tibi fili augendę sunt, aut audacia minuenda. Sēper igitur fortitudini inimica est temeritas, sempérque cōsilio vacat, siue illa ex animi elatione nascatur, siue ex desperatione, siue ex stupore, siue alia ex re quacunque. Q. Cepionis contra Cimbros & C. Flaminij aduersus Annibalē pugnarum exitus documēto esse possunt, quid impet⁹ rationę destitutus valeat. Cōtra verò Fabij maximi prudēs cunctatio Annibalē, ad ea vsque tēpora romanis insuperabilem vicit. Ille consilio, Marcellus executione pollebat, vt de

De officijs.

Archidami dictū.

vtroque sit iure dictum: Fabium quidẽ clypeũ, Marcellũ autẽ gladium Romanorũ esse, ob ídque simul iunctos à Senatu populóque Romano fuisse, vt præsentaneo alter alteri auxilio foret. Non debẽt igitur Principes temerè aggredi, quod humeri postea (vt poëta inquit) ferre recusent: quemadmodum & Sebastianus Foxa super Aristotelis Ethicen inquit, Temerarius autem is, qui quod supra vires est, nulla habita periculi ratione, cõfidenter aggreditur: Quem idcirco necesse est, in ipso congressu deficere, quoniã plus quàm vires permittãt, tẽtauit &c. Scipio verò Africanus turpe esse aiebat in re militari dicere nõ putarã. Idẽ negabat aliter cũ hoste cõfligi debere, quàm quũ aut occasio obuenisset, aut necessitas incidisset: & quę apud Valeriũ Maximũ sequũtur. Quod si omnino bellare iuuat, in infidèleis ferãtur, exẽplo Iosuæ ac Dauidis: de quo Stapulẽsis ità inquit. In sacris literis Dauid puer inermis, impauidus aggreditur Gigãtem hamata lori-

Sebastianus Foxa.

Lib. 7. Cap. 2.

ca

ca,multiplicíque telo tumẽtem: nudus occupat armãtum, occupatum obtruncat. Vnus puer fortis decem millia cedere cogit. Ecce quid pro cultu diuino generosæ mentis virtus infractáque fortitudo valere debeat, cui semper virtutũ Dominus fortissimus rerum aspirat ab alto. Et si hæc vel sola nunc inter Christianos Principes regnaret virtus, non esset tam paruum nunc Christi Saluatoris regnum, & in tantis angustijs nomen eius contractum, qui ex duodecim fortibus totum sibi conquisierat orbẽ. & cætera, quæ longa oratione ibi prosequitur ipse Author, quoad tandem ità concludit. Omnes Christiani gratijs habitis, & pijs ad Deum veræ fortitudinis parentem profusis lachrimis conclament cum Baptista mantuano,

Surge, tuo pater ense tuos defende nepotes,
Quam geris, aduersas feriat rhõphea cohortes:
Capadoces, Phrygij, virides vbi flumine ripas


Curuat

Curuat, & argutos audit Meander olores.
Et veteres Eneti, Cares vbi dicitur ortũ
Augurium, Licij, Pontus, Bithynia diues
Annibalis tumulo insignis, Lydíque vetustum
Vnde genus Tuscis fuluas vbi voluit arenas
Diuitibus Pactolus aquis: Hæc omnia nostris
Hostibus, & rigido parent inuita tyranno.
I Decus o Regum, tantóque accinge labori:
Præteritisque nouam meritis hanc adijce laudem,
Quam delere sequens annis labentibus ætas
Nulla queat: sed quæ cœlo scribatur & astris.
Parce tamen miseris: nec te fortuna superbum
Eleuet, & casu virtus dominetur in omni.

Hæc de fortitudine, quæ sola Regno rũ lapſas, aſpirãte Deo, releuat ruinas.

FORTITVDINI TIMIDI-
tatem opponi: quæ ſæpius in cauſa eſt vt & Duces, & milites magno cum dedecore vincantur.

CAP. XXXVI.



NIMI fortitudini timorem opponi nemo eſt, qui dubitet: qui quidem timor quum animum inuaſit, ſic ipſius vireis eneruat, vt ſæpe etiam in deſperationẽ inducat, vt de Oreſte, de Athenienſi Nicia, de Nerone, quamplurimíſque alijs apud Hiſtoricos legere eſt. Sunt qui per ſomnia concitentur in terrorem, quẽad modum Pharaoni, Nabuchodonoſori, Galbæ, Vitellio, aliíſque cõpluribus euenisse

nisse constat. Quid de Perseo Macedonię Rege dicem⁹? Quid de Pōpeio magno? Quorū vtrique quū maximè opus esset vltimis in suis cōflictibus fortitudine, tunc maximè nimia formidine defecit animus. Solō vnus è septē Græciæ sapientibus vt è cordibus militum, qui sua pro Republica pugnaturi erant metum excuteret, legem tulerat, vt eorum, qui inter pugnandum morerētur, liberi, stipendijs publicis alerentur. Vtinam hac tempestate nostri etiam Principes ità essent erga suos milites animati, fideliores illos, & animosiores haberent. Sed ad rem. Quū. Q. Fabij dictatoris exercitus Annibalem ad Casilinum obsedisset, Pœni facilè potuissent vinci, nisi Romanus miles fraudibus Annibalis circumuentus, formidine correpta cessisset loco, quemadmodum. T. Liuius in De secundo bello punico voluminibus diffusissimè narrat. Extat etiā Ambronū populorū exemplū, qui suis fœminis formidolosiores fuere. Nō extimescit impauidus miles vitā periculis *Lib. 2.*

culis

culis exponere, quoties rei dignitas id exposcit. At cõtrà timidus honoris oblitus ac famæ, vel minima discrimina vitare solet. Quid igitur illi prodest armare corpus, si animus inermis manet? Nam quidam adeò meticulosi sunt, vt quum clafsicum cani audiant, in publicum prodire nõ audeant, animi torporísque viribus destituti. Vnde Iodocus in Ethicen Aristotelis inquit, Fugere laboriosa timidi est atque mollis. Idem vbi de verecundia tractat, sic ait: Stupidus siue pauidus est, qui ex pafsione, non electione de quolibet tam honesto quàm turpi vituperationem timet: neque audet bonum opus aggredi, quia timet irrisionem hominum; ob cuius timorem abstinet æquè ab honesto, sicut à turpi: quemadmodum timidus metu periculorum belli abstinet ab aggrediẽdis hostibus. Ergo bellica præcepta nequaquam seruat: Quia lex fortitudinis iubet, vt ne miles fugiat ab acie: ne deserat locum: non arma abijciat. Neque tãtùm immodicus timor pugnandi prouinciam

In Mag. Moral. Aristot.

uinciam deſerit, ſed in moleſtioribus negocijs homines interdum etiam ad deſperationem talem adigit, vt ſibiipſis manus conſciſcant: quod minimè poſt tenebras lucem ſperent. Id Catoni, id Bruto, id Caſsio, id alijs permultis accidiſſe notius eſt, quàm vt hîc referri debeat. Quin & populi aliquot inuenti ſunt, qui mutuis volũtariiſque vulneribus deſperata rerum ſuarum ſalute ſeipſos interficiebant, aut ſua ſponte inſiliebant in ignem vt ſaltem eo pacto manus hoſtileis euaderent, quemadmodũ & Saguntini, & Numantini à Romanis obſeſsi fecerũt. Quid? an non & Santium populus ter diuerſis exercitibus obſidẽtibus idem facinus perpetrauit? Quare quum timiditas plurium malorum author ſit, vt quæ neque publicis, neque priuatis rebus prouideat meritò cunctis fugiendam eſſe contendimus.

QVAM REPREHENSIBILIS *sit in Principibus Auaritia, præsertim quando comitem habet ambitionem.*

CAP. XXXVII.



VM alia quamplurima vitia, tum præcipuè Auaritia magnam perturbandi Principum, priuatorúmque hominũ animos vim habet. Ea Stoicis tenacissima cupiditas eſt, atque inordinatus amor, immò (vt Ouidius ait) amor ſceleratus habendi. Paulus Apoſtolus radicẽ omniũ malorũ auaritiam eſſe inquit: cuius auidi quidã à fide aberrarũt, & ſeſe transfixerunt doloribus multis. Auarus igitur, vt etiam Mimographus ait, ipſe miſeriæ cauſa eſt ſuæ: nam quò maiores diuitias accumulat, ídque per fas ac nefas, eò magis inter ipſas opes inops eſt, quum illi inſtar hydropici.

1. *Tim.* 6.

Quò plus ſunt potæ ſitiantur aquæ.

Quo

Quo de vitio Valerius Maximus ita scripsit. Protrahatur in medium etiam Auaritia latentium indagatrix lucrorum, manifestæ prædæ auidissima vorago, nec habendi fructu felix, & cupiditate quærendi miserrima. móxque de Cypriorum Rege Ptolemęo sic inquit: Non possedit diuitias, sed à diuitijs possessus est: Titulo Rex Insulæ, animo autẽ pecuniæ miserabile mancipiũ. Quãobrẽ M. Cato quum de corrigẽdis moribus cõcionaretur ad populũ Romanũ, dixit auaritiam ac luxuriam duas esse pestes, quæ potentissimum quodque imperium destruere valerent. Cui sententiæ M. Tullius astipulans ait: Nullum vitium tetrius est, quàm auaritia, præsertim in Principibus & Rempublicam gubernantibus: habere enim quæstui Rempublicam, non modo turpe est, sed sceleratum etiam ac nefarium. Itaque quod Apollo pythius oraculo edidit Spartã, nulla re alia nisi auarita esse periturã, id videtur nõ solũ Lacedęmonijs, sed etiã omnibus opu-

Lib. 9. Cap. 4.

Catonis dictum.

De offic.

Offic.3. lentibus populis prædixiſſe. Deteſtatur idem alibi. M. Craſsi &. Q. Hortenſij factum, Qui quum. L. Minutij Baſilij locupletis hominis falſum teſtamentum in quo ipſi quoque ſcripti erãt hęredes, è Græcia Romam eſſet allatum, quanquã euidẽs fraus erat, inhoneſti tamẽ lucri captura inuitati ſuis eã authoritatibus cõtexerunt. An nõ & Iugurta, quũ Roma diſcederet, vrbẽ illã venalem eſſe dixit, ſi emptorẽ inueniret? ac citò periturã quod nimirũ malè parta, malè item dilabi cõſueuerint. Id quod etiam Demades athenienſis orator oſtendit, qui quum ingenteis diuitias per auaritiam paraſſet, per luxum ac libidinem eas demum perdidit. Heu quàm falluntur Principes, qui auaritia ducti populos indebitis grauaminibꝰ impoſitis expilãtes augere ſuos inde theſauros arbitrantur, ob id enim contracto in ſeipſos populorũ odio, ruinæ aliquãdo patent. Indicio eſſe poſſunt Lydi, qui Regẽ ſuũ olim eandẽ ob cauſam cũ tota familia interemptũ, in Pactolũ fluuiũ præcipitarunt

tarunt, vt inde se auro exsaturare pos- *In Eh.*
set. Itaq; qui magna cupiũt (inquit Sta- *Arist.*
pulensis) vt tyrãni nõ illiberales, sed po
tius perniciosi, impij, iniustique dicun-
tur, vt Dyonisius Syracusanus, qui v-
bi auro & magnificis oblationib⁹ tẽpla
Deorũ spoliauerat, in Diuos iocabatur,
cachinósque mouebat. De quo Vale-
ri⁹ maxim⁹ scribit plura ac paulo post. *Lib. 1.*
Turpi item versantur in lucro lenones,
qui spe quæst⁹ turpiter meritoria exer
cent: Nebulones genus hominũ leuiũ,
aliorum fex, & nostri generis dedecus:
Fœneratores, qui dant ad fœn⁹ hoc est
ad vsuram, & quorum nummi nũmos
pariunt. Atque alia quamplurima, quę
in hanc sententiam subinfert inibi Sta-
pulensis, quoad ad Iuuenalis quædam
carmina citãda descẽdit, quæ sic habẽt.

Sed quò diuitias hæc per tormenta
coactas?
Quum furor haud dubius, quum sit
manifesta phrenesis,
Vt locuples moriaris, egenti viuere
facto?

Interea pleno quum turget sacculus ore,
Crescit amor nummi, quantum ipsa pecunia crescit.
Et minus hanc optat, qui nihil habet.

Et paulò infra.

Inde ferè scelerum causæ: nec plura venena
Miscuit, aut ferro grassatur sæpius vllum
Humanæ mentis vitium, quàm sæua cupido
Indomiti sensus: Nam diues qui fieri vult
Et citò vult fieri. Sed quæ reuerentia legum?
Quis metus, aut pudor est vnquam properantis auari?

Supra etiam dixerat idem Poëta.

Et maiore domus gemitu, maiore tumultu
Planguntur nummi, quàm funera: nemo dolorem
Fingit in hoc casu: vestem diducere humanam

Contentus

Contentus, vexare oculos humore coacto.

Ploratur lachrymis amissa pecunia veris.

Et non modo ploratur, sed plerunque curritur ad necem. O Auari animaduertite, elegantem poëtam habetis Ausonium Gallum vestrum fatum describentem.

Qui laqueum collo nectebat, repperit aurum.

Thesaurique loco deposuit laqueum.

At qui condiderat, postquã non repperit aurum:

Aptauit collo quem reperit laqueũ.

Ità certè digna mulcta pereũt, quos auri sacra fames continuè strangulat: Et nihil ad tantam miseriam finiendã deesse putauit Ausonius pręter laqueũ: habent enim quem in sacris literis imitentur, Iudam auarum, cuius fauces laquei cõstrinxerũt, & cuius media crepãtis viscera lapsa fluxerũt: Dignũ profectò auari speculũ. Quibus enim adépti sunt virtutis oculi, illis relicti sunt

ad omnia turpia ſenſus. Et monſtrum Principum venatur capita, & nunc in eſca, nunc in poculis toxica miſcet. Per Deum immortalem ô Principes hanc ſæuiſsimam belluam, hanc Pandoram omnium vitiorum parentem ab omnibus Regnis pellite. Hæc enim victoria vobis ſecuram vitam relinquet, vitā reſtituetis pupillis, vitam orphanis, pauperibúſque viduis. Deinde Author idē Stapulenſis Craſsi & Aquilij proponit exempla, quorum vterque ob nimiam auri cupiditatem infœliciter occubuit. Mox argumenta quædam, quibus auari ſuum morbum defendere nituntur, in medium profert, illíſque omnibus veluti per dialogum reſpondet. Verùm hæc apud ipſum Authorem cōmodiùs videri poterūt. Nā nimis longum foret, huc omnia velle transferre. Cæterū (vt proſequamur inceptā) ingens omnino mortalium, præcipuéque Principum ſtupiditas ac ſtultitia eſt, qui quū Domini creatarum rerum à Deo ſint conſtituti, ſeruos auri atque argenti aliarúmque

túmque huiusmodi terrennarum rerũ seipsos efficiant. Quibus etiam Chrisostomus ait: Auaruscupiditate æris alligatus terrenis rebus affixus, & seruus factus ex libero, & cœlestibus excidens nunquam de sublimioribus cogitat: & cætera quæ sequuntur. Hippocratis igitur consilio parendum auaris fuerat, qui ait: Qui vult liber esse, non cupiat, quod habere non potest. Qui vult habere, quod optat, optet quod habere potest. Hoc pestifero morbo complures ex antiquis Principibus addita insuper ambitione laborarunt: qui in aliena Regna contra ius & fas inuadentes populos, nationésque sibi subiugare tentarunt, non quidem vt illis benefacerent, sed tantum vt dominandi & habédi vitiosæ libidini cũ eorum dettrimento satisfacerent. Quamobrẽ Calisthenes Alexandrum increpans dixit. Si Deus es, beneficia largiri mortalibus nõ sua eripere debes: Si homo, id quod es, semper te esse cogita. Et scytharum legati eiusdem Alexandri cupidita-

Homel. 31. In Mat. x. Cap.

Hippocratis sententia.

tem moderari potuissent, si non altiùs imbibisset hoc immedicabile malum. Elegantem eorum orationem siquis videre desiderat, apud Q. Curtium inueniet: ad quem ipsum remittimus. Et Cyneas Thessalus Pyrrhum Regẽ pulchra deductione admonuit, ac salubre consiliũm dedit, vt à cædibus ac rapinis locorum, & gentium abstineret, suis, quæ sufficere illi ad felicitatem poterant, contentus. Quod sanum sanè cõsilium, si secutus fuisset Rex, & filium, & seipsum in extremas miserias non coniecisset. Principes igitur nostri iam discant & ipsi auaritiæ atque ambitioni frenum imponere, ne dum terrenã ditionem iniustè quærunt acquirere, iustè cœlestem amittant. Nam hæc vitia adeò efera sunt, vt non sanguini, non amicitiæ, non fœderibus, non sexui, non ætati, non denique vlli rei parcant, vt quod sequuntur, assequantur, quod oblita suæ conditionis perpetuò se fruitura his bonis, quæ sibi quomodocunque tandem parauerint, arbitrentur.

Verùm

Verùm qui Principes cupiunt ex immundis huiusmodi Lacunis emergere, quũ veteres, tũ recenteis euoluãt historias non minùs profanas, quàm sacras, quoniam ex ijs omnibus liquidò cópre hendere poterunt, nihil esse diuturnum sub Sole: Transferuntur imperia: Regna commutantur: Intercidũt Respublicæ: Ditiones intereunt: Qui dominabantur seruiunt: Qui seruiebant, dominantur: denique licebit obseruare cuncta, quæ aut olim per orbem gesta sunt, aut nunc gerantur varijs & casibus, & vicissitudinibus esse subiecta: quemadmodum vt gentis Iudaicæ res diuinis literis contentas præteream, Troianis, Græcis, Persis, Macedonibus, Romanis, Carthaginensibus, Lacedęmonijs, Atheniensibus, innumerísque Regnis ac Ditionibus alijs euenisse commonstrabũt eædẽ ipsæ historiæ. Fœliciter itaque sapient, si alieno periculo sapient: neque sanguinolẽtis victorijs, aut populorum stragibus,

aut

aut regionum rapinis auidam posidē-di regnādíque cupiditatem explere cō-tendent. Vtinam saltem imitentur & Paulum Aemilium,& Africanum eius filium, qui ex maximis prædis deuicto ab hoste collectis nihil sibi penitus reser uarunt, Sed in ærarium publicum ad communem vtilitatem omnia contule rūt.Hoc Principum, Hoc Rectorum, Hoc Exercituum quoque officium est, prodesse populis, aut si quid ab illis accipiendum est,cum bona eorum gratia est auferendum. Quid enim vtilitatis habet, violenter sibi parare thesauros, atque inde populorum beneuolentiam amittere? vix fieri potest, vt qui Dux aut iudex citò ditescere expetit, rectè munus iniunctum administret. Quum gloriaretur Sylla se ditisimum esse,respondit Senator quidam, quî potest fieri,vt vir sit probus, qui tam breui tam diues euaserit? quum præsertim nil sit illi à parentibus relictum? Vbinā hodie inuenire est aliquē tā generosum ac liberalem, quàm extitit Camillus? Cui

Camill.

quum

quum à Gallis oblatum esset aurũ generosè refutauit inquiens: Ferro, nõ auro patriam esse seruandam. Itaque liberalitas patriam seruauit, quam illiberalitas auro corrupta perdere potuisset. Est enim liberalitati fides, auaritiæ verò comes perfidia. Darius Xersis pater in periculis dubiísque rebus quum pecunia opus esset, prouinciarum Præsides, Principésque accersiri iubebat, rogabátque grauiáne tributa irrogarentur: Respondentibus verò ea mediocriter se habere, dimidium vt ex quæstoribus soluerent præcepit: pluris enim populorum gratiam, quàm pecuniæ magnitudinem faciebat. Nã liberalitas nullum nisi gratum pectus inhabitat. Phocio qui quinquies & quadragies imperatoriam dignitatem legitur magna cũ laude iniisse, perpetuò pauper fuit, quũ facilè propter dignitates sibi à populo traditas, diues esse potuisset. Cui quum multæ pecuniæ à Philippo Rege dono mitterentur, nequaquam accipere voluit. Et hortantibus Oratoribus, vt si is

Darius.

Phocionis & factum & dictum elegans.

facilè carere posset, filiis tamen acciperet, quibus difficile esset in tanta paupertate paternam dignitatem tueri: respondit: Si similes mihi erunt liberi, hic idem agellus, qui me ad hanc dignitatem euexit, illos educabit. Sin dissimiles, nolo his opibus eorum luxuriã alere. Et hic exemplo est, liberaleis facilè ditescere non posse: & plus gaudere alijs sua dispensare, quàm aliena recipere. Hinc Iuuenalis ait.

MENSVRA TAMEN QVAE
Sufficiat census, si quis me consulat: edam,
In quantum sitis atque fames, & frigora possunt.
Quantum Epicure tibi cultis suffecit in hortis.
Quantum Socratici cœperunt ante penates.
Nunquam aliud natura, aliud Sapientia dicet.

Et alibi.

Nemo petit modicis quæ mittebantur amicis,

A Sene

A Seneca: quæ Piso bonus: quæ Cotta solebat
Largiri. Namque & titulis & fascibus olim
Maior habebatur donandi gloria. Solum
Poscimus, vt cœnes ciuiliter. Hoc face, & esto,
Esto (vt nunc multi) diues tibi: pauper amicis.

Et Horatius.

Si quis pauperiem veritus potiore metallis
Libertate caret, dominum vehet improbus, atque
Seruiet æternũ, qui paruo nesciet vti.
Imperat, aut seruit collecta pecunia cuique.


Epimenides verò dicebat, pecuniã Auaro supplicium esse, liberali decus. Cæterum siquis cupit intelligere, qui nam sint verè diuites, Is M. Tullij Ciceronis vltimum paradoxum ad M. Brutum perlegat, ibi enim hanc materiam diffusissimè pertractatam videbit diffu

diffusissimè pertractatam videbit: Cuius hîc verba referre supersedeo, tum quia vnicuique commodum est, apud ipsum Authorē hęc perspicere, tum ne nimis lōga recitatiōe lectorē remorer. Porrò nonnulli sunt quí per ambitionē ad auaritiam deflectant, propterea quod videant extitisse plureis, qui diuitijs ingentibus ingentem sibi nobilitatem compararint. Igitur ad idem hoc & ipsi facinus animati, quo iure, quáque iniuria corradere diuitias vndecūque conantur, vt ipsi quoque nobilitatem inde atque honorem adipiscantur. Quod innuere videtur & Aristoteles Ethic.4. quum ait: Potestas, diuitiæque propter honorem expetuntur. Itaque qui hæc habent, per ipsa honoribus affici volunt, & quædam alia, quæ in hanc sententiam ibi sequuntur. Quum autē damnamus auaritiam, non propterea dicimus Principem non debere suarū rerum curam gerere, sed potius id volumus res ipsas ità rectè administrari, vt omnia virtuti consentanea sint, quod
hæc

hæc sola mortaleis nobilitet, atque illustreis faciat, ac magnanimos: Cui sententiæ sic adstipulatur Stapulensis in Ethicen Aristotelis, vt prolixiore disputatione hanc ipsam cōfirmet. Eam poterit Lector, si libuerit, apud eundem Authorem inspicere. Verùm de veræ nobilitatis origine, déque causis ipsius instituendæ, conseruandæ atque excolendę siquis auet plura pernoscere, tam ex diuinis quàm ex humanis literis, Pius Aeneas in suis historijs abundè satis huic faciet. Nam hæc omnia oratione copiosissima percurrit. Nos verò caput hoc ità concludimus, auaros homines turpis lucri Sectatores, diripiendis aliorū bonis inhiantes ab sibi ipsis tantum natos neque nobilitatis nomen promereri, neque si interdū assequātur diutius conseruare, quum id eos iniusto titulo possidere certissimum sit.

OPTIMVM ESSE REMEDIUM *ad seruandam in concordia Ciuitatem, curare, vt quædam sit inter Ciueis, quoad eius fieri potest, æquabilitas, ne quidam elati nimium, ceu Lupi ac Leones euadant.*

CAP. XXXVIII.



Ensuum inęqualitas Aristoteli seminaria discordiæ inter ciueis plerunq; gignit quum illis de virtute potiùs quàm de diuitijs inter se certandum esset, quãdoquidem virtus ipsa nõ diuitiæ alium alio nobiliorem facit: quod in Aristide Atheniensi facilè est cernere, qui quãuis ob virtutes alias præcipuéq; ob iustitiam qua erat præditus, iusti cognomen adeptus esset, nihilominus adeò pauper extitit, vt suo sumptu iam mortuus efferri nequiuerit. In quo tantum abest, vt sit habitus ignobilis, vt multo magis

magis inde suam & nobilitatem, & dignitatem auxerit. Cęterum quum eidē Aristoteli Ciuitatis corpus in plura membra diuidatur, nempe in Agricolas, in Artifices, in negociantes circà forum, in mercenarios, & in pręsidiarios milites, quibus omnibus ad sui conseruationem vrbs indiget: Quumq; alijs idem Ciuitatis corpus in pauperes, diuites, mediocresq; distinguatur, Principi summopere vigilandum est, vt qua possit, maxima dexteritate, ac benignitate membra hæc omnia moderetur, vt vna cum capite totum corpus integrum seruari queat. Sed enim quum nihil tā noceat rebus publicis, tātumq; damni prouincijs afferat, quàm vt in ijs insolentes, iniu r osi, superbiq; nutriantur, cauendum est Magistratui diligenter, ne fucis huiusmodi faueat, qui nihil aliud quærunt, quàm vt per ipsum impunè sibi liceat, ex rapinis alienorum bonorum & ociosè & vitiosè viuere. Sunt igitur aut interficiendi aut saltem expellendi, si consul-

Lib.4. Polit.

tum patriæ velit ipse Magistratus, ne si nimium indulserit, obsequi tandem illis necesse sit. Aristophanis apud Valerium Maximum extat hac de re admonitio in hæc verba. Aristophanis quoque altioris est prudentiæ præceptum, qui in Comœdia introduxit remissum ab inferis Atheniensem Periclem vaticinantem non oportere in vrbe nutriri leonem: Sin autem sit alitus, obsequi ei conuenire. Monet enim vt præcipuæ nobilitatis, & concitati ingenij iuuenes refrenentur: nimio verò fauore, ac profusa indulgentia pasti, quo minus potentiam obtineant, ne impediantur: quod stultum & inutile sit, eas obtrectare vireis, quas ipse foueris. Hæc Valerius. Ergo qui sunt ità perditi, nihil commune habent cum Aristide paulo supra iam dicto, nihil cum Epaminonda, nihil cum L. Mumio, nihil cum Fabio Maximo, nihil denique cum quàmplurimis alijs egregijs viris, quos patriæ potius, quàm sui ipsorum rationem habuisse cópertissimum est.

Lib. 7. cap. 2.

Etenim

Etenim omnes hi virtutis tantùm non diuitiarum, quas cõtemnebant, aut potentiæ causa nobileis haberi volebant: Quæstúmque putabant maximum, quàm maximè seruire suorum ciuium commodis. Hoc idem nostris principibus efficiendum est, ac præcipuè cauendum ne populos ad iracundiam prouocent, vt ne inde seditionis alicuius occasionem præbeant, quemadmodum Romę per nobileis factum aliquoties cum plebe fuit. Vt igitur nimio furore, immodicáque iracundia in suos excandescere ac seruire Principibus frequenter obest, itá mansuetudine, humanitate & clementia cũctis adesse, præsertímque nobilioribus & fauorem, & gratiam nõ mediocrem illis conciliat. Quod sic accipi velim, vt non propterea vetẽ Principes ipsos irasci, quoties iustis legitimísque de causis irascendum est: quum & Christus Iesus mãsuetudinis omnis ac mititatis exemplum, summa nonnũquam exarserit indignatione aduersus pro meritos sonteis, quemadmodum.

Mat. 21. Euangelistæ contestantur. Psalmogra-
Ioan. 2. phus item quousq; sit fas iram extendere, nobis indicat, inquiens: Irascimini & nolite peccare. Verùm si quis de hac ipsa ira, deq; eius antidoto, mansuetudine complura sciré scripta peroptat audire, Aristotelem adeat, qui his de re-
Lib. 4. bus disserit sermone locupletissimo.
Moral. Nos verò Principem illum valdè com-
Cap. 4. mendãdum esse ducimus, qui nouerit, quo tẽpore, quo loco, quibus personis, quantũ vnicuiq; delicto irascendũ sit: sic inquam vt semper iræ præcipiti moderans ratio dominetur. Antigonus in Eumenem plùs quam par erat, iratus,
Antigonus. illum ad necem, propositis etiam interfectori præmijs, exquirebat. Eumenes autem sua mansuetudine & calliditate vicit Antigonum. Quid? an non Apollonius quoq; Tyaneus Philosophus in causa fuit (vt nonnulli arbitrantur) vt Aurelianus Imperator mitigaret, iracundiam, qua succensus vrbi Tyanæ interminatus fuerat se ne canem quidẽ
Clemẽter. relicturum in ea? Antonius Pius adeò

Clemens extitit, vt Scipionis celebratissimam sententiam in ore freq̃uẽter haberet, se malle vnum seruare ciuem, quàm mille hosteis occidere. Cui nõ est notum consilium Athenodori Philosophi Augusto Cæsari datum ad reprimẽdam iram? vt videlicet iratus, nihil diceret priùs, aut faceret quàm quatuor & viginti græci Alphabeti literas mente percurrisset: idem ferè cum Alexandro magno Gymnosophista quidã effecit. Et Diodorus Siculus Author est: Sabacum Aegyptiorum Regẽ adeò sanguinis animaduersionem horruisse, vt capite reos, dãnatosq; vinctos catenis operas vulgo per Ciuitates præstare iuberet, ne interimerẽtur: Et quũ (paucis interfectis socerdotib⁹) ĩperare potuisset, spõte se regno abdicauit, maluitq; in mãsuetudine, scelere vacare, quàm crudeliter diuturno regno potiri. Nihil hic dicã de Trasibulo Lai filio, de Pythagora, de Xenocrate, cõpluribusq; alijs, quorũ mãsuetudo cunctis est notissima. Sed enim cõtraria huic iracundia quos fœt⁹ pariat, vel vni⁹ Astyagis exẽplũ, vt

Athenodori consilium.

innumera prætermittam alia,satis iudicio esse potest. Hæc nanque non modo non parcit inimicis,sed ne amicis quidē quanuis innocentibus. Hæc eadē Crudelitatem comitem habet. De qua Valerius Maximus sic inquit, Crudelitatis verò horridus habitus,truculēta species, violenti spiritus, vox terribilis,omnia minis, & cruentis imperijs referta.& quæ cum suis exemplis sequūtur. Isocrates autem hisde rebus alloquens Regem suum sic ait:Adimito metum ciuibus,neque velis admodum formidabilis esse ijs,qui nihil peccant: Nam vtcunque reddideris alios affectos in te, ità & tu in illos eris affectus:& quæ alia in eandem sententiam illic referuntur. Non ità procul à crudelitate abest seueritas. De qua nos quoque supra non nihil attigimus.Verum quisquis expetit seueritatem ipsam penitius intueri, pluráque ipsius exēpla cōspicere ,Valerij maximi totum de Seueritate Caput euoluat , in quo permulta comperiet summa etiam admiratione dignissima.

Lib.9. Cap.2.

Lib.6. Cap.3.

Princeps

Princeps itaque cui cordi eſt, pacificè diúque regnare, feruidam atque impetuoſam deuitet iram, affabilem & gratioſam humanitatẽ ſequatur. Sic enim populi & longam illi precabuntur vitam, & libenter erunt in omnibus obſequentes. Quũ Amaſis Aegypti Rex contemneretur à ſuis quòd obſcuro loco natus eſſet, id adeò non ægrè ferebat vt quotidie ſe illis humaniorem exhiberet, quouſque tandem etiam commentitia fabella, ſimulacro Iouis ex aurea trulla confecto, atque ipſis ad adorandum propoſito, comiter euicit, vt ab omnibus fieret plurimi.

Stapul. in Ethi. Ariſtot.

VT VERITATIS AMANtem, *sic osorem mendacij Principē esse debere: idemque in suis ministris ac cæteris familiaribus requirere, insuper sua non omnibus committere.*

CAP. XXXIX.



Rrogantis potissimũ ac dissimulatores arguit Aristoteles mendacij, sic inquiens. Arrogãs itaq; præclara, & ea, quæ nõ insunt & maiora quam insunt fingere sibi videtur. Dissimulator autem contrà, negare quæ sibi insunt, aut imminuere solet. At medius quum sit talis, vt vnumquodq; quale est ipsum dicat aut ostendat, tã vita, quã verbis est verax ea sibi inesse cõfitendo, quæ insunt, & neq; maiora neq; minora. Et Paulò infrà. Itaq; Verax quũ sit medius, est laudabilis: Mendaces

Lib. 4. Moral.

daces autem ambo vituperabiles sunt, sed arrogans magis. Hæc Aristoteles. Cæterum nos eum veracem esse dicimus, qui de rebus & iustis, & iniustis, ità loquitur scribit, ac testatur, vt omnino se habēt. Quamobrē si Principes cū suis Administris ex animo veritatē amabūt, neq; per se ipsi mētientur neq; alios mentienteis admittent. Artaxerses militi cuidam mendaci tribus clauis perfodi linguā iussit. Gymnosophistæ naturales (inquit stapulensis) quasdā cōiectationes ad futurorum præsagia curasse memorantur, & reuoluto quoq; anno, consilium populorum conuocabant, & quid in illo anno futurum coniectassent, ordine denuntiabant. Quòd si quis in ijs, quæ denuntiauerat, in mēdacio deprehendebatur, aliorum conuitio & maledictis mulctabatur, & reliquam omnem suam vitam in silentio & tenebris exigebat. Sic arbitrantes eum, qui veritatem mendacio violasset, iustas Silentio temerariæ linguæ dare pœnas. Quod si verba tantum

puniuntur,quanto magis facta (vbi adſunt)punitione digna ſunt? Et quãtum patronis cauſarum in adminiſtranda iuſtitia ipſi iuſtitiæ famulatur veritas, tantum iniuſtitiæ ſeruit mendacium, iuſtitiæque obeſt: Quapropter Cicero clamat,ſe non intelligere, cur qui ſentẽtiam pecunia corrumpit, pœna dignus ſit:qui verò eloquentia, laudem ferat. Verùm (inquit) mihi plus mali facere videtur,qui oratione, quàm qui precio iudicem fallit,quòd pecunia corrumpere prudentẽ nemo poteſt, dicendo autẽ poteſt.Et ideo hęc virtus iuſtitiæ Adminiſtratorib' ſummè neceſſaria eſt, ſumméq; venerari debet,nec vnquã violari, rémque vnquã cõmitti tãto piaculo dignam.Hæc Stapulenſis. Altera quæ in Principe ſuíſque adminiſtrisrequiritur cõditio ſilentium eſt, & ſecretorũ reticentia : Quod Simonidis ex ſententia tutius eſt tacere quàm loqui: Et nemiminem tacendo, multos autem loquendo circumuentos agnouimus: Cecilius Metellus exemplo eſt quanti ſit facienda ta-

da taciturnitas: Sed idem Persæ multo magis ostendunt, apud quos disciplina vetúsque lex est quia cauetur vitę periculo silentium custodiri. Pythagoras quoq; suos discipulos prius tacere quã loqui docebat. An nõ etiã Anseres Taurum montem, qui aquilis abundat, præteruolantes rostra lapillis obstruunt? ne consuetudo vocem illis eliciat, atque ità fiat, vt ipsarum aquilarum præda sint? Naturę documẽtum id esse potest, oportere, silentij, vocísque rationẽ habere eos, qui linguæ volunt effugere nocumentum. Chilonis inter sentẽtias hæ recensentur. Quid difficile? arcana reticere: Ocium rectè disponere: Iniurias tolerare: His adiecit. Linguam semper, sed præsertim in conuiuio contine. Proximo noli maledicere &c. Iuuenalis item ostendit, quàm indecorum sit habere loquacẽ linguam, sic inquiẽs de Græcis.

Ingeniũ velox, audacia perdita, sermo
Promptus, & Isęo torrentior. Ede quid illum

Esse

Esse putes: quemuis hominem secum attulit ad nos
Grammaticus Rhetor, Geometres Pictor, Aliptes
Augur, Schenobates *Medicus, Magus omnia nouit.*

Inter huiuscemodi loquaces homines aliqui sunt, qui etiam mordacitate gaudeant, quærantq; famā illorum denigrare, quos Principibus ob benè gesta chariores esse conspexerint, quum tamen illam potiùs tueri deberent, de quibus Horatius ait.

Absentem qui rodit amicum,
Qui non defendit alio culpante, Solutos
Qui captat risus hominū, famamque loquacis;
Fingere qui non visa potest: Commissa tacere
Qui nequit, hic niger est, hunc tu Romane caueto.
Arcanum neque tu scrutaueris vllius vnquam,
Cōmissumque teges & vino tortus, & ira

Nec tua laudabis studia, aut aliena
reprendes.
Quid de quoque viro, & cui dicas
saepe videto.
Percōtatorem fugito: nam garrulus
idem est.

Et eius generis alia permulta, quæ apud eundē Poëtam passim leguntur.

Quam horrendis puniat supplicijs Deus iniquos Principes.

Cap. XL.

Quemadmodum iustis æquisq; Principibus ità fauet ipse Deus vt etiam sui nominis titulos illis pro parte communicet, sic iniquos, atque iniustos ità punit, vt ingentem formidinem supplicia intuentibus incutiat: præterquàm quòd interdū etiam subiectos populos illis rebelleis faciat. Nam quum sint ipsi suis

excutiet,& consilia examinabit: Quod quum essetis eius regni Ministri, non rectè iudicaueritis,neq; legem executi fueritis, neq; vos gesseritis ex Dei voluntate. Ille vos horribiliter & celeriter inuadet:Nam in excellẽtissimos quosq; seuerissimum exercebitur iudicium. Etenim infimi venia digni sunt:at in potẽtes potenter animaduertetur. Exempla verò tam frequentia sunt,vt superuacaneum videri posit, his fusius cõmemorandis insistere. Cui nõ est notũ quid impio Pharaoni, quid Adonisedecho, quid Sisarę,quid Abimelecho, quid Saulo, quid Ieroboamo,quid Achabo, quid Iezabeli, quid Athaliæ, quid deniq; innumeris alijs ob tyrannica scelera,facinorosamq; vitam euenerit? sexcenta morborũ excruciantium genera sæuissimum Herodem,referente Iosepho, Machabæisq; torserunt: vsq; ad miserrimam necem:poscẽte nimirum Deo pœnas eiusmodi ob ipsius crudelia nefandaq; facinora. Herodes item alter, quod sibi diuinos honores

Sap.6. *Exo.10.* *Iosu.10.* *Iud.4.* *Iud.9.* *Reg.1.31.* *Act.2.*

tribui passus est, erosus à vermibus expirauit, vt interim taceā quid Herodi Antipæ Galilæę pręfecto ob nequissimas impietates acciderit. Caueant igitur Principes, & maximopere quidem caueant ne suis malefactis diuinam in sę iram atq; indignationem prouocent, vt ne cum supra iam dictis, atque etiā innumerabilibus alijs, quos fide dignæ nobis historiæ proponunt, seuerissimè puniantur. Id quod etiam Magistratus omneis ac Iudices velim sibi dictū existiment. Nam per superiores Principes in hos quoque delinquęteis, & contra ius iniuncta munera ministranteis interdū Deus animaduertit asperrimé. An non seuerū iudiciū in Iudicē Rex
Lib. 6. Cambyses exercuit? De quo Valerius
Cap. 3. Maximus ità inquit, Cambyses inusitatę seueritatis, qui mali cuiusdam Iudicis ex corpore pellem detractam sellæ intendi, in eaq; filiū eius iudicaturum considere iussit. Cæterum & Rex, & Barbarus atroci ac noua pœna Iudicis ne quis postea corrumpi iudex posset, proui

prouidit. Quamplurima elegantiſsimè conſcripta leguntur apud Heſiodum de non corrumpēda Iuſtitia: ex quibus hæc paucula mihi huc afferre libuit.

Iuſtitiæ ſacra iura domant genus omne malorum.
Illa quidem virgo eſt ſupero Ioue nata parente.
Nomine clara ſuo, cœtuque verenda Deorum:
Quam ſi quis violet, lachrymans ſua fata parentis
It Iouis ante pedes, & lamentabile fundens
Humanos queritur mores, ac debita poſcit
Supplicia in populos. Tu Iudex cauſa malorum,
Qui violas ſacra iura Deæ, Iam dirige mentem.
Ius cole, in alterius te nulla pecunia vertat
Damna, nocet ſibi, qui cuiquā nocet, & malè ſuadet
Ille ſibi, qui quemquam ſi quis ma-

Iuſtitiæ Imago ex Heſiodo.

le iura ministrat.

Saty. 8. Cætera ex ipso Authore petantur. Iuuenalis quoque nonnihil ad hoc faciens addit his carminibus.

Expectata diu tandem prouincia, quum te
Rectorem accipiet, pone iræ fræna, modumque.
Pone & auaritiæ, miserere inopum sociorum.
Ossa vides Regum vacuis exhausta medullis:
Respice quid moneant leges, quid Curia mandet,
Præmia quanta bonos maneant, quàm fulmine iusto
Et Capito, & Numitor ruerint damnante senatu.

Hæc igitur omnia Principibus documento sint, vt æquitatem ac iustitiam colant, ab iniustitia & ab iniquitate abstineant, ne diuinum iudicium incurrant: nimis enim horrendum est (vt ille ait) in manus Dei viuentis incidere. Quod si rebus in omnibus vni tantum

tum modo probitati ex animo studuerint, diuinum humanumq; fauorem facillimè consequentur.

DE VARIIS DONORVM *generibus, ac primum de ijs, quæ mortaliũ animos corrumpunt, præsertim eorum, qui vel arma, vel iura pertractant.*

CAP. XLI.


Lura esse donorum genera neminem ambigere arbitror. Nos autem aliquot hîc ab ipsorum vsu denominauimus, de ijs primũ dicturi, quæ quoniam menteis hominũ corrumpunt, dona corrumpẽtia libuit appellare. Norint itaque Principes, qui taleis Administros tã militiæ quàm domi habent, quibus hæc ipsa munera cordi sunt: suas res intuto non esse, propterea quod id genus homines siue bel-

la gerenda ſint,ſiue forenſia iudicia per tractanda,facilè ſubuertunt omnia, nihilque aliud quærunt ſuis & conſilijs & negocijs,quàm vt ad Donatoris arbitrium non ad Principis vtilitatem cuncta gerantur. Hinc ſæpenumerò proditiones non minus in exercituum Ducibus reliquiſq; militibus, quàm etiam in cauſarum ciuilium Iudicibus oriri ſolent,quæ detrimenta ſecũ maxima partim ipſis Principibus partim priuatis hominibus ferre cõſueuerint, nihil eſt enim tam iniuſtum, nihil tam difficile, quod per eiuſmodi dona non impetretur,ac perficiatur, vt non ſine cauſa dictum ſit ab oraculo. Argenteis haſtis pugna,& omneis viceris, ſignificante Deo nihil eſſe quod pecunia nõ expugnet. Hoc idem animaduertiſſe videtur Prouerbiorum Author, quum ait. Victoriam & honorem acquirit, qui dat munera. C. Pontius Samnis aiebat. Vtinam ad illa tempora fortuna me reſeruaſſet,& tunc eſſem natus, quando Romani dona accipere cœpiſſent.

Prouerb. 22.

ſent,non eſſem paſſus diutius eos impe rare. Nec illi quidem multa ſecula ex-pectanda fuerunt. Plutarchus de Macedonum Rege Philippo refert, quòd quum arcem quandã ac præſidium capere deſtinaſſet valdè munitã, atq; exploratores retuliſſent prorſus eſſe difficile atque adeò etiã impoſsibile: percõtatus eſt, nũ vſque adeò difficile eſſet, vt nec aſinus auro onuſtus poſſet accedere: ſignificãs nihil eſſe tam munitum quod auro non expugnetur. Quid? an non& Mileſij oratores effecerunt, vt Athenienſis Demoſthenes non anginam ſed argentanginam paſſus nihil potuerit contra ſeipſos loqui? Non ſecus igitur homines donis quàm piſces hamo capi poſſe certum eſt, inſuperq; ipſa hæc dona munitiones quaſuis bellicis omnibus machinis efficacius demoliri. Quare iuſtiſſimis de cauſis corruptrices eiuſmodi largitiones tam diuinis quàm humanis legibus coercẽtur. Nam Deus ipſe per Moſem multis in locis has eaſdem ſeueriſſimè prohi-

Philippi Regis de muneribus opinio.

bet inquiens Exodi vigesimo tertio capite. Ne donum accipito: nam donum cæcat etiam perspicaceis, bonorumque virorum orationem peruertit. Deuteronomij quoque sexto decimo capite ijsdem ferre verbis idem repetit. Ne donum accipito: nam donum & Sapientũ oculos cæcat, & iustorum orationem peruertit. Multo etiam seuerius hoc ipsum facit eiusdẽ libri capite vigesimo septimo, quũ ait. Execrabilis qui donũ acceperit, vt homini per iniuriã vitam eripiat. Atque hæc postrema sanè interminatio, nõ Iudices modò perstringit, verùm etiam sanguinarios quosdã notat, qui pecunijs acceptis, eorũ qui dãt, inimicos, à quibus nũquam sint ipsi læsi, crudeliter interficiunt. Cæterũ quod ad Iudices attinet, quàm iniquè agant, qui muneribus corrumpi se sinant, vel ex primo Regum libro Capite octauo videre possumus, vbi Ioelis & Abiæ Iudicum perditis moribus factum est, vt libera prius Israëlitarũ Respublica ad Regni iugum peruenerit. Sic nanque

con

contextus habet. Quum autem consenuisset Samuel, filios suos, quorũ grandiori Ioel, Alteri Abias nomẽ erat, Rectores Israëlitis Bersabæ ĩposuit: Qui eius filij, quũ eius mores nõ imitarentur, sed ad auaritiã declinãtes munera ob ius peruertendũ acciperẽt, Israëlitæ sibi Regẽ dari petierunt &c. Væ autem ijs Iudicibus, qui seipsos precio vendũt, quoniã emptoribus huiusmodi obnoxij iam facti, neque crimina corrigere, neque sonteis punire nisi ad illorũ voluntatem audent. Vnde fit, vt & pauperiores opprimantur iniustè, & innocentes Nocentiũ sint iniurijs oĩbus expositi, & id quidẽ per ipsos Iudices impuné. Saltẽ ad memoriã reuocarẽt quã terribiliter Deus minetur ijs, qui largitionibus corrupti ex iusto impiũ, & ex impio iustũ faciunt. Nam quemadmodũ *Psal. 15.* ex Dauidis Cãtione beatus est ille, q̃ donũ aduersus Innocentem nõ accipit, sic miserrimus is futurus est idẽ qui accipit Esaia Propheta dicente: Væ qui sonteis *Cap. 5.* absoluunt ob munera, & insontib⁹ suũ ius eripiũt. Quamobrẽ vt lãbens ignis

ſtipulam conſumit, vt feſtucam flamma conficit, ſic illorum ſtirps tanquam putre quiddam erit: Illorũ frutex quaſi cinis abibit, qui Domini repudiauerint legem, & eius dicta contempſerint. Neque tantũ Iudices hoc vitium cõtaminat, ſed & Sacerdotes inuadit, Prophetæ Michæę teſtimonio, qui dicit: Prin-
Cap. 3. cipes ob munera iudicant: & Sacerdotes precio reprehendunt, & vates argento diuinant. Vbi nam quæſo nunc ſunt, quos Eſaias commendat ità inquiens:
Cap. 33. qui ſe iuſtè gerit, æquumq; loquitur: iniuriofum lucrum reſpuit, ſuam manũ ne dona capiat, excutit: aurem ne ſanguinem audiat, obſtruit, oculoſq; ab iniuria videnda continet: Is altè habitabit. &c. Vtinam hac noſtra tempeſtate Magiſtratus omnes ac Iudices tam integri tamq; incorrupti eſſent atque olim Samuel extitit, qui non veritus eſt ſuos his verbis alloqui. Quum vobis ab ineunte ætate ad hunc vſque diẽ præfuerim, reſpondete mihi præſenti coram Domino, coramq; vncto eius,

eccui

eccui bouem aut asinũ eripuerim? ecquem fraudauerim, aut oppresserim? à quo prę mium acceperim, vt in eius crimine conniuerem? & vobis satisfaciam. Cui illi: Tu neque nos fraudasti aut oppressisti, inquiũt, neque quicquã à quoquam abstulisti. Sedenim ea nostrorum temporum conditio est, vt si quis nunc inueniretur tam innocens Iudex, omnibus ferè contemptui futurus esset ac derisui, quòd æqui honestique nulla fermè iam ratio vsque habeatur, vt bonis etiam per malos bonis esse non liceat. Iudicibus tamen vel illud Vlpiani sequendum esset, vt nec omnia, nec passim nec ab omnibus. Verùm de his hactenus. Iam dicendum est etiã de alio donorum genere, quod adeo temerarium atque impium est, vt ad sancti quoque spiritus functiones corrumpendas, diuinęq; scripturæ verba deprauanda aggrediatur. Atque vt hinc initium sumam: Rex Moabitarum Balacus an non ausus est muneribus datis Balaamum tentare, vt Israëlitico Dei popu

Vlpiani dictum.

Num. 22.

1. Reg. 9. populo diras imprecaretur? Saulus quoque dum perditas parentis asinas vnà cum famulo quęritans non inueniret, vati cuidam oblaturus erat munus, vt ab eo, rescisceret, quod quærebat. Super qua re Iosephus Historiographus ità inquit. Errabant autem ignorantes, quod non acciperet Propheta mercedem. Et Franciscus Vatablus in suis annotationibus ait. Putabant enim Prophetam Dei accipere munera, sicut diuini eorum faciebant.

De Ant. lib. 6. s

Daniel. 5. Balsasar item Rex Danieli proposuit ingentia dona, vt sibi explicaret obscurum dictum quod in pariete diuina manu conscriptum fuerat. Interpretatus est quidem ipse Daniel arcanum scriptum Regi, sed regiorum munerum nihil ob id accipere voluit, vt cœlestia munera nō esse pensanda terrenis ostēderet. Vbi Iosephus idem sic ait. Quo facto Daniel dona quidem cum apud se retineret, dixit. Sapientiam nanque & diuinitatem sine suffragijs semper existere, & gratis prodesse credentibus.

In


In nouo quoque testamento suis discipulis Christus ait, Gratis accepistis, gratis date. Porro quid acciderit Simoni Mago qui donum Dei existimauit pecunijs parari posse, notius esse arbitror, quàm vt nunc referendum hîc sit. Ergo qui verbi Dei Ministri sunt, si ad contaminanda ministerij sui munia, donorum sibi quamlibet magnus aceruus porrigatur, statim cum Petro dicendum illis est, pecunia tua tecum sit in perditionem. Ac nemini dubium esse debet, quin præcipites agendi sint, quicunque tandem, & quacunque tandem ratione id efficere tentauerint.

Mat. 10.

Act. 8.

DE RELIQVIS DONOrum generibus, quæ Mortalium animos conciliant: Et quæ honoris, aut pietatis gratia tribuuntur: Et quo pacto legitimè, sit ijs omnibus utendum.

CAP. XLII.



Lia quędã donorum genera sunt honesta quidẽ illa & laudabilia, propterea quòd honestis de causis ac laudabilibus fiant. Inter hæc nobis id primùm recensendum est, quòd amicitiæ iam contractæ, aut contrahendæ gratia fieri cõsueuit. Qualia extiterunt illa munera, quæ obtulit Abraamus Abimelecho, & è conuerso: fœderis nanque & societatis inter ipsos initę veluti pignus ac testimonium fuisse constat. Quibus addi possunt & illa, quæ Solomon atque Hiranus Tyriorum Rex inuicẽ sibi mittere solebant.

Gen. 21.

3. Reg. 5.

ſolebant. Eſt & aliud largitionis genus *Gen. 32.*
quod ad placãdos iratorũ animos adhi
betur, cuiuſmodi fuere donaria ab Iaco
bo ad Eſaum fratrem ad illius in ſe con
ceptam indignationem mitigandam
miſſa: Et Abigaelis inſigni prudẽtia at-
que eleganti forma mulieris ad Daui-
dem, vt eius aduerſum Nabalem mari
tum ſuum meritò concitatam excan-
deſcentiam commitigaret. His adiungi
poſſunt & munera, quæ quòd honoris
cauſa mittantur, honoraria vocari que
unt. Cuius generis habentur illa, quæ
Pharao Rex Aegypti donauit olim *Gene. 12.*
Abraamo: & poſtea Ioſepho Iſraëlis fi
lio alter Pharao, quem etiam præfecit
Aegyptijs. Solomon itẽ quamplurima
huiuſmodi & ad alios miſit munera,
& ipſe recepit ab alijs. Ezechias quoq; *3. Reg. 10.*
à Merodaco Babiloniæ Rege data cũ
literis dona non reſpuit. Daniel inſu- *Eſai. 39.*
per ab eiuſdem Babiloniæ Regibus co- *Dan. 8.*
honeſtatus eſt maximis præmijs ac do
nationibus, quæ ſanè Vir pius non acce
piſſet, niſi ſe iuſto titulo retinere illa

posse existimasset. Qua in re illud obseruandum est, munera sacris in literis haud in vniuersum prohiberi, sed habendam esse rationem locorum, temporum, dantiumque ac recipientium personarum, nec non etiam causarum ꝓpter quas aut dantur, aut recipiũtur ipsa munera. Sic enim fiet, vt perceptu ri facilè simus, quęnam ad præscriptũ diuini iuris siue dari, siue recipi legitimè dona posśint. De ciuili iure nihil loquor, quum sui sint hominibus prætextus per quos leges vel munerarias, vel ad aliud facienteis in communem suæ patriæ vsum ferre pro tempore consueuerint, quibus hîc præiudicare non est animus. Id nihilominus pro comperto est, multos extitisse Principes, multas item res publicas, quæ suos ciueis ob egregium aliquod facinus honestiśsimè munerarint: Qualem seruasse cõsuetudinem Romanos, vt alios populos prætermittã, historici quamplurimi contestantur: vt inde nimirum reliqui ciues ad capescendam virtutẽ animo

animosiores eorundem præmiorum spe fierent. Prætereà sunt quædam dona publicè missa, publiceque recepta, quibus Principes Principibus, aut ob aliquam adeptam victoriam, aut ob aliquem alium secundum euentum gratulantur. Huius extitisse generis videntur ea, quæ Romanis ob victoriam de Samnitibus relatam à Carthaginensibus, atque ab Attalo Rege aliã ob causam accesserunt. Postremò habet etiam ecclesiastica politia sua munera: quæ quoniam pietati tantùm inseruiunt, meritò pia vocari possunt. De quorum munerum sanctis largitionibus, quoniam veteris nouique testamenti volumina frequentissimam mẽtionem faciunt, his diffusius hîc recensendis mihi supersedendum esse arbitror. Hoc solùmmodò dicam, summo studio cunctis, & publicis, & priuatis hominibus esse nitendum, vt quàm fieri potest, plurima huiusce generis dona in eos, qui indigent, erogentur, quan

doquidem ea, quæ ecclesiæ Christianæ pauperibus distribuuntur, ipsius Christi membris exhibentur, vt idem ipse
Mat.25. testatur, inquiēs: Quod vni ex meis vel minimo fecistis, mihi fecistis. Ergo vt eleemosynas hîc munerum appellatione comprehensas, egenti proximo seorsum per vnumquemq; habilem benignè cōmunicandas prætercam, non minus ad ciuileis magistratus, quàm ad Pastores ecclesiasticos pertinet, diligentissimè curare, vt huiusmodi donorum ingens copia semper ad manū sit, qua pro temporum, ac personarum qualitate, indigentium necessitatibus opportunè succurri queat: quemadmodum vtriusque tum dicti testamenti quum institutiones, tum exempla nobis ob oculos ponunt: in primisq; apostolicæ ecclesiæ facies id ostendit: in qua communia erant omnibus omnia, vt omnium indigentijs ex æquo sub-
Act.2. ueniretur. Et quanquam Apostolorum quidem hac in re curam nonnulli

li succedentibus temporibus ecclesiarum præpositi, vel pro parte saltem æmulari conati sint, vt historiarum ecclesiasticarum Authores prodidere, denique tamen res eò paulatim deuenit, vt nunc omnes ferè tãtum (quod Paulus Apostolus ait) quæ sua sunt quærant, non quæ Iesu Christi. Faxit Deus vt huius temporis Ecclesię Christianæ, tam doctrina, quàm mores ad ipsorum Apostolorum ecclesiæ veteris archetypum reformentur: quo tandem impietati mundanisque cupiditatibus vale dicto, temperanter & iustè pieq; viuamus in hoc seculo. *Philip.2.*

Hæc habui, Princeps Illustrisime, quæ de Regnis Rebusq; publicis ritè administrandis, deque Principum moribus dicerem, tibique pro ea, qua prosequor te reuerentia, humiliter dicarem. Quibus quidem, quod mihi varijs ex Authoribus tam sacris, quàm profanis magno sanè labore, summoque studio sunt collecta, Rapsodiæ nomen

imponere libuit. Non vereor autem futuros aliquos, qui fortasse dicturi sint, me huc plura potuisse congerere, quũ hîc latissimè pateret campus: Alios verò me plura quàm par sit, congesisse: Quot enim capita, veteri prouerbio, tot sententiæ. Verùm Prioribus ego respondeo, me quàmplurima consultò præterijsse, ne Lectorem nimia prolixitate fastidirem. Secundis verò pro me respondeat Martialis, qui ait: Non sunt longa, quibus nihil est, quod demere posis. Nam quum hîc nihil inutile, nihil extra rem dicatur, non video cur debeant reprehẽdi, quæ paulò diffusius pertractata sint. Mihi sat erit, Præstantisime Princeps, si tibi, qui iudicio polles integro, sic eæ nostræ vigiliæ tandem arriserint, vt æqui bonique facturus sis, me illas tibi, præcipuè destinasse. Nihil itaque reliquum esse videtur, quàm vt eos omneis, ad quos hæc ipsa sunt scripta plurimùm horter, vt ad eadem factis exprimen-

da

da penitus adiungant animum: quò primùm Optimo Maximoque Deo, (cunctis deinde mortalibus) quoad eius fieri potest, per omnia fiat satis.



FINIS.







